



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XIX. De Prædestinatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



confertur, illi optime prouidetur. Verum sicut illi beneficium confertur intransitiue tantum: quia non accipit aliquid a se distinctum, sed tantum accipit ut sit id quod est: sic illi tantum prouidetur intransitiue. Confirmant, quia, inquit, Adversarij farentur, si res in creatione accipit virtutem quam se promouet ad finem; creationem, quatenus imprimit illam virtutem, esse executionem prouidentia. Atqui ipsum esse substantiale precise sumptu reddit rem magis aptam suo fini consequendo, quam vlla virtus distincta: omnium enim bonoru fundamentum est esse. Ergo creatio quatenus dat esse, tam est executio prouidentia, quam quatenus imprimit virtutem distinctam ab esse. Confirmant secundò, quia si esset possibilis creatura aliqua, essentialiter in actu secundo viuens & beata: eius creatura effectio esset consummata prouidentia in executione, quia ulterius nihil ei prouideri deberet. Ergo falsum est quod prius debeat esse, ut ei prouideatur.

Sed his omnibus responderi facile potest pro contraria opinione: Ad primum, negando Maiorem, cum eius probatione. Non enim quodcunque beneficium conferre, seu quodcunque bonum facere, est prouidere

alicui: sed illum gubernare, ut supponit opinio Suarez: gubernatio autem differt à creatione, & illam præsupponit, æque ac conseruatio. Ad primam confirmationem responderi potest, actionem quæ imprimi illam virtutem, supponere creationem rei cui imprimitur, quæque per illam incipit instrui medijs ad finem consequendum: & hoc totum esse causam cur hæc actio sit executio prouidentia, non autem precise creatio. Ad secundum: Talis creatura, si est, possibilis, non indigeret prouidentia, id est gubernatione, quæ ut ait D. Thom. qu. 22. art. 3. est rerum ad finem directio in executione, per media scilicet idonea: sed egeret tantum conseruatione sui esse, per quod solum haberet, id quod nos habemus per ademptionem finis, & per media ad illum consequendum nobis suppeditata à diuina prouidentia. Concludo itaque neutram sententiam satis probare quod intendit. Posterior tamen, quæ negat, mihi videtur esse communi sensui magis accommodata. Nam in humanis Pater non dicitur prouidere filio, cum illum producit: sed cum præsciens aut sperans illum esse futurum, parat quæ illi nascituro conuenientia sunt: aut iam nato preparat & suppeditat media ad finem illi fauorabilem idonea.

## DISPUTATIO

### DECIMA NONA,

#### De Prædestinatione.

- Sectio I. *Quod intelligant Theologi nomine Prædestinationis?*  
 Sectio II. *An & quomodo Deus naturas intellectuales, aliquas ad vitam eternam prædestinauerit, alias reprobauerit?*  
 Sectio III. *Vera sententia prodatur ex Scriptura.*  
 Sectio IV. *Præbatur eadem sententia ex Patribus, & nominatim ex S. Augustino.*  
 Sectio V. *Eadem probatur rationibus Theologicis.*  
 Sectio VI. *Confirmatur eadem Veritas pluribus alijs rationibus.*  
 Sectio VII. *Solutio obiectionum ex Scriptura.*  
 Sectio VIII. *Solutio obiectionum ex Patribus.*  
 Sectio IX. *Solutio argumentorum ex ratione.*  
 Sectio X. *Soluntur alia quædam Suarez argumenta.*





E argumento proposito in hac disputat. agit S. Doctor  
 artic. 1. 2. 3. & 5. quæst. 23. In quorum primis docet  
 conuenienter homines à Deo prædestinari. Quia ad  
 Dei prouidentiam pertinet res in finem ordinare: non  
 solum ad finem naturæ creatæ proportionatum, quem  
 scilicet res creatæ potest attingere secundum virtu-  
 tem naturæ suæ; verum etiam ad illum, qui excedit proportionem  
 naturæ creatæ, & facultatem. Cuiusmodi finis est vita æterna, quæ  
 in diuina visione consistit. Ad quam cum non possit homo virtute  
 suæ naturæ peruenire, oportet vt à Deo ad illam transmittatur: sicut  
 sagitta mittitur ad scopum à sagittario. Huius autem transmissionis  
 ratio, in Deo præexistens, vocatur prædestinatio. Nam destinare  
 est mittere. In secundo affirmat prædestinationem non esse aliquid  
 in prædestinatis, sed in prædestinante solum. Quia prædestinatio est  
 quædam pars prouidentia: cum sit ratio ordinis aliquorum in salu-  
 tem æternam, in mente diuina existens. Prouidentia autem non  
 est in rebus prouisis; sed est quædam ratio, seu cognitio in intelle-  
 ctu prouisoris. At executio prouidentia, quæ gubernatio dicitur, pas-  
 siuè quæ est in gubernatis: actiuè autem est in gubernante. At-  
 que ita etiam executio prædestinationis, quæ est vocatio, iustifica-  
 tio, & glorificatio, est passiuè in prædestinatis, & actiuè in Deo. In  
 tertio asserit Deum aliquos reprobare. Quia ad prouidentiam per-  
 tinet permittere aliquem defectum in rebus quæ prouidentia sub-  
 dentur. Cum igitur homines per diuinam prouidentiam ordinentur  
 in vitam æternam: pertinet etiam ad diuinam prouidentiam vt per-  
 mittat aliquos ab isto fine deficere. Et hoc dicitur *reprobare*. Sicut  
 autem prædestinatio, præscientiam, includit voluntatem conse-  
 rendi gratiam & gloriam: ita reprobatio includit voluntatem per-  
 mittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pec-  
 cam pro culpa. In ultimo docet prædestinationem ex parte actus  
 diuinae voluntatis prædestinantis, nullam habere causam. Ex parte  
 verò effectus, licet non detur causa totius effectus prædestinationis  
 in communi, quia quicquid est in homine, ordinans ipsum in sa-  
 lutem, comprehenditur totum sub effectu prædestinationis; etiam ipsa  
 preparatio ad gratiam: tamen in particulari nihil prohibet aliquem  
 effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius. Poste-  
 rioris quidem prioris, secundum rationem causæ finalis. Priorem  
 verò posterioris, secundum rationem causæ meritoria: vt si dicamus  
 Deum prædestinasse dare gloriam ex meritis: & præordinasse se datu-  
 rum alicui gratiam, vt mereretur gloriam. Hæc D. Thom. quæ se-  
 quentibus sectionibus exponenda sunt.



## SECTIO I.

Quid intelligunt Theologi nomine Prædeterminationis?

Prædeterminationi vocis varietas sumitur.

Primo, prout ext. dicitur etiam ad malum.

**V**CVS QVÆ de providentiâ generali. Iam de speciali & præcipua illius parte circa creaturæ intellectuales in ordine ad salutem æternam, quæ vocatur prædeterminatio, disputandum est. Ac primò supponendum prædeterminare & prædestinationem, cui in Scriptura respondent Græcè *προορισμός*, & *προορισμός* sumi præcipuè quadrupliciter apud Scriptores sacros. Primò, generatim pro omni actu libero diuinæ voluntatis, siue absoluto, siue conditionato, siue antecedente, siue consequente, siue ad bona, siue ad mala: ita scilicet ut *destinare*, idem sit, ac liberè velle, constituere, deserere: particula autem, *præ*, designet antecessorem actus diuini, utpote æterni, respectu existentie Dei decretæ: atque ita demùm prædeterminare sit idem quod ante decernere: quo sensu dicitur interdum prædeterminasse Deus etiam mala & peccata ut Act. 4. vers. 28. vbi dicitur Deus prædeterminasse fieri quæ Herodes, & Pilatus, & ceteri in Christum sceleratissimè commiserunt. Licet enim versus Latina non vtatur ibi voce prædeterminandi, sed habeat Verbum, *decreuit*: Tamen in textu Græco, qui est originalis, habetur vox *προορισμός*, qua voce prædeterminatio in Scriptura significari solet. Et tamen Deus circa ea permissiue tantum se habuit voluntate consequenti, præuisa hominum malitia, si vellet illis generalem concursum non negare. Eodem sensu Concil. Valent. cap. 3. admittit prædeterminationem ad mortem & ad pœnam. Et D. August. lib. 1. de ciu. cap. 1. prope initium, & lib. 21. cap. 24. & tract. 48. in Ioann. admittit prædeterminatos ad supplicium, & ignem, & interitum æternum. Similique modo loquuntur Fulgent. lib. 1. ad Monimum, pluribus locis, & Prosper in responsione ab objectiones Gallorum, responsione 15. vbi nomen prædeterminationis extendit ad malum: cum ait Deum præcisse simul & prædeterminasse, quæ ipso erant auctore faciendâ, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuendâ.

Aliqui recentiores dicunt hanc acceptiōnem vocis *prædeterminare* & *prædestinationis*, esse abusivam & impropiam: propriamque ac rectum eius usum non nisi ad bona pertinere. Qui inquit, si propriè prædeterminatio dicitur de malis, esset qualis genus ad bona & mala, ac vtrique ex æquo descendens. Quem admodum præuisio, quia est genus indifferens ad præuisionem boni & mali, de vtraque propriè dicitur, & non sine aliquo addito restringente, specialiter adaptatur ad præuisionem boni. At contra prædeterminatio sine vllō addito restringente simpliciter in-

telligitur de bonis & salutaribus. Ita enim Trident. sess. 6. cap. 12. ait, neminem sine speciali reuelatione certum habere quod sit in numero Prædeterminatorum, quod intelligit de efficaciter prædeterminatis ad salutem: ergo prædeterminatio simpliciter intelligitur de bonis: alioquin vt ad illa specialiter restringeretur, deberet addi aliqua differentia. Addunt secundo, quod si voluntas Dei puniendi malè acturos, propriè diceretur prædeterminatio, non posset negari hæc propositio, huiusmodi homines esse prædeterminatos ad mortem æternam. Et tamen damnatur simpliciter hæc propositio à Conciliis & Patribus, quod vllus sit prædeterminatus ad malum: vt à Trident. sess. 6. cap. 7. Arausic. can. 25. Prospero in 14. responsione ad Gallos: & Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 13. Addunt vltimò rationem. Nam communi modo loquendi nemo dicit eum qui nauigabat vt perueniret ad Indiam Orientalem, posteaque tempestatis vi coactus mutat consilium, & dirigit cursum in Indiam Occidentalem, nemo, inquam, dicit eum peruenisse ad portum prædeterminatum. Et tamen habuit voluntatem eundi ad Indias Occidentales, antecedentem tempore executionem huius voluntatis. Sed quia hæc fuit secundaria voluntas, ex occasione quæ illi fuit inuoluntaria, nempe ex periculo naufragii; non dicitur simpliciter hæc fuisse illius prædeterminatio. Similiter autem Dei voluntas permittendi mala culpa, & inferendi mala pœna, est secundaria & consequens voluntas. Antecedens enim & priuatiua eius intentio est, vt omnes bene uiuant & salui fiant: iuxta illud 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.* Hæc illi.

Ad quæ Respondeo primò, vt vox, prædeterminatio, simpliciter & sine addito restringente prolata, intelligatur de bonis, sufficere quod ex communi vsu & modo loquendi restringatur ad bona: quamuis propriè, sed generalius sumpta, de malis quoque dici possit. Sicut nomen Ecclesiæ absolute prolatur, intelligitur de cœtu fidelium: quamuis ex vi & proprietate vocis Græcæ significet quemcunque cœtum aut conuentum hominum. Et nomen fidei in Scriptura sumitur absolute pro diuina & Theologia: & nomen angeli ibidem dicitur absolute de bonis angelis; & sic de aliis plurimis. Quæ tamen nomina secundum vocis proprietatem latius extendi possunt. Fides enim propriè sumpta significat quemcunque assensum certum & obsecrum, saltem certum propter auctoritatem alicuius testificantis: & vox Angeli, quascunque naturas creatas purè immateriales.

Secundò, ad primum argumentum, id est, ad auctoritatem Tridentini sess. 6. cap. 12. Respondeo illud nimis probare, & nocere aduersariis. Nam probaret vocem prædeterminationis dici tantum propriè de

Hb 2



prædestinatis efficaciter ad salutem: cum tamen aduersarij non negent, imò expressè fateantur, dici propriè de bonis generaliter: etiam de illis quæ pertinent ad naturalem ordinem vniuersi. Ecce, inquit, in Adamo eramus prædestinari etiam ad felicitatem huius vitæ.

Neque verò negare possunt has locutiones esse proprias, Beata Virgo fuit prædestinata in matrem Dei, id est, et esset mater Dei: Abraham, in eius progenitorem: Dauid, in Regem Israël: Christus, in caput hominum & angelorum: & sic de alijs, quæ sunt bona diuersa ab æterna salute. Sicut autem, ad veritatem propositionis illius Tridentini sufficit quòd prædestinatio simpliciter dicta sumatur communiùs ac ferè sæpè nunc temporis à Catholicis & hæreticis, inter quos de illa controversia est, pro voluntate efficaci saluandi infallibiliter: sic vt simpliciter negetur prædestinatio ad mala, sufficit quòd communi vsu & modo loquendi non dicatur de malis.

Ad secundum Respondeo damnari propositiones illas, sumpta voce prædestinationis in sensu communi & vsitato, qui strictior est, & ad bona tantum pertinet. Latius verò sumpta voce prædestinationis, quantum fert eius proprietates; veræ sunt illa propositiones, & in terminis affirmantur à Concilio Valensino, D. Augustino, Prospero, & Fulgentio locis citatis num. 1. Adde Prosperum & Fulgentium non citari appositè ab Aduersarijs. Tantum enim vsunt Dei prædestinationem non esse causam infidelitatis, & male operationis seu peccati. Quod fatemur non posse dici Catholicè; sed non valet ad probandum intentum. Imo Fulgentius eodem loco expressè ait Deum prædestinasse ad poenam, licet non prædestinauerit ad culpam.

Ad tertium Respondeo, talem non posse dici peruenisse quò primò prædestinauerat: sed nihilominus potest dici peruenisse quò secundò prædestinauit ire, ex occasione tempestatis. Ac si rursus cogeret alia tempestate rursus dirigere versus Septentrionem, aut repetere portum, à quo incepit nauigationem: possit rectè ac propriè dici non peruenisse, ne quidem eò, quò secundò prædestinauerat. Non negamus tamen rationem esse cur prædestinatio dicatur potius de eo, quò quis primaria & antecedenti voluntate intendit. Nam sicut hoc primò & præcipuè ac simpliciter, atque ex se ipso vult; alterum autem non nisi conuenienter, & partim inuoluntariè, ex occasione quam uellet non esse: ita præcipuè dici potest hoc prædestinasse. Præcipuè enim ac primaria voluntas, maximèque voluntaria, maior habenda est ratio. Et hætenus de prima illa & generalissima acceptione vocis prædestinatio.

Secundò verò sumitur strictius pro decreto obiecti per se Deo placentis, & à Deo in-

terenti antecedente voluntate, vel efficaci, vel beneplaciti: quo pacto non est ad malum culpa, nec poenæ vt talis, quæ essentia ter superponit culpam, quam Deus non potest absoluere & antecedenter intendere. Hoc sensu negant prædestinationem ad malum & culpam & poenæ Arafricanum secundum can. 25. Trident: sess. 6. can. 17. & D. August. lib. de prædestinatione sanctorum cap. 10. vbi ait præscientiam latius patere, quam prædestinationem: quia hæc est tantum boni & gratiæ, & eorum quæ Deus facturus est (scilicet voluntate primaria & antecedenti, non consequente tantum, & permissiua, in se, vel in radice) præscientia verò est etiam mali & poenæ.

Tertio sumitur adhuc strictius pro solo decreto efficaci ad supernaturalia, in ordine ad vitam æternam: siue antecedente, siue consequente. Et quia in serie supernaturalium, est series mediourum ad gloriam, gratiæ scilicet multiplicis, & plurimorum auxiliorum; itemque est gloria tamquam finis: ideo subdividitur prædestinatio alia ad gratiam & media, quæ adhuc multiplex est, sicut gratia & media sunt multiplicia: alia ad gloriam. Aequiualeat tamen huic divisioni alia, quæ Lestius & alij tradunt initio disput. de prædest. in completam, & incompletam. Prima est ad gloriam, quæ est completa, alus. Secunda ad gratiam, quæ per se est salus incompleta, & gloria in femine proximè vel remotè: proximè, gratia sanctificans: remotè, gratia auxiliantes. De prædestinatione in hoc sensu loquitur Paulus Ephes. 1. vers. 4. & 5. Et August. loco supra citato, alibique sapius. Ac sicut prædestinatio alia est ad gratiam & ad varia dona gratiæ, alia ad gloriam: sic electio multiplex est. Quædam ad gratiam, & ad varia dona gratuita: alia ad gloriam. Et vtriusque mentio sæpissimè fit in Scripturis.

Sunt tamen qui distinguant prædestinationem ab electione: ita vt velint hanc esse ad gloriam: illam tantum ad gratiam & ad media. Sunt etiam qui malint per prædestinationem incompletam intelligere voluntatem Dei conditionatam saluandi omnes, quam habuit ante præuisionem operum: per completam verò, voluntatem absolutam & efficacem, quam Deus habuit post præuisionem operum: quoniam, inquit, alioqui diuisio illa, prout explicatur à Lestio, non est utilis ad eum finem propter quem affertur. Cum enim præcipua huius tractatus controversia sit, quæ ordinem seruet Deus in discernenda gloria is omnibus qui saluantur, an scilicet ex mero beneplacito, antecedente ad omnem præuisionem operum? attendimus per hanc acceptionem prædestinationis duplicis soluere testimonia Scripturæ, in quibus videtur afferri homines prædestinari à Deo non propter sua opera, sed ex Dei beneplacito. Quod facimus vtendò prædicta



distinctione, & dicendo, prædestinatos esse propter opera prædestinatione completa: & non esse prædestinatos propter opera prædestinatione incompleta, quæ non attingit efficaciter gloriam, sed tantum gratiam primæ vocationis: quia prima gratiæ collatio antecedit omne meritum de condigno & de congruo: opera enim naturalia, ne de congruo quidem, possunt illam mereri. Adhuc ex sententia Lessij sequi prædestinationem circa ea tantum versari quæ re ipsa in hominibus aliquando efficiuntur. Et tamen, videtur Lessius, illi qui à iustitia excidunt & non saluantur, erant ex Dei voluntate destinati ad gloriam. Et omnes, quibus media salutis vel proximè in seipsis, vel remotè in alijs sunt preparata, Ad est, omnes homines, sunt prædestinati ineffaciter & conditionatè ad gloriam: & efficaciter ad illud medium quod ipsis confertur vel in se, vel in alijs. Quo sensu Paulus omnes Ephesios, ad quos scribebat, vocat electos & prædestinatos. Non enim supponebat omnes esse iustos, sed tantum electos ut essent sancti & immaculati in conspectu Domini, ut ait Ephes. 1. v. 4. Hæc illi.

Quibus Respondeo primò, distinctionem illam prædestinationis, eodem sensu quo à Lessio & à nobis explicatur, tradi diserte à S. Anselmo in caput primum epistolæ ad Ephesios in illa verba v. 5. *Qui prædestinavit nos: ubi sic ait: Boni dupliciter prædestinantur, id est, ad primam & secundam resurrectionem.* Et paulò ante ad v. 4. eiusdem capituli, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: sic habet: Deus præordinavit quæ in tempore gratiæ aliquos à perditione separaret, & iustos immaculatosque faceret. Præordinavit etiam quod & illos ad æternitatem perduceret. Harum prædestinationum alteram hic implet, quod sanctos facit. Alteram in futuro complebit, dando immortalitatem & beatitudinem.* Hæc Anselmus. Scriptura quoque vtriusque membrum distinctionis tradit. Prius quidem v. 4. & 5. capituli citati ad Ephesios: *Elegit nos in ipso, id est, in Christo, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, &c.* Posterius verò Rom. 8. v. 29. & 30. *Quos præsumit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & glorificavit.* Et verò cum efficax prædestinatio ad gloriam includat efficacem prædestinationem ad gratiam, & aliquid amplius ac perfectius addat, ultra quod nihil addendum superest, nullam video rationem, cur prior completa & consummata dici nequeat, quippe cui nihil amplius addendum superest. Posterior verò, incompleta & inchoata, cui deest complementum & consummatio prædestinationis efficacis ad gloriam.

Ad primum argumentum, nego hanc di-

stinctionem afferri à Lessio, & à nobis, alijsque qui illam tradunt, ad finem dictum ab adversarijs. Solùm enim assertur ad explicanda Scripturæ loca quæ de utraque loquuntur, & ad distinguenda prædestinationis objecta.

Ad secundum Respondeo prædestinationem ad gratiam, & ad gloriam, dupliciter sumi à nobis, & à Lessio, alijsque pluribus. Primò, generalius pro quacunque voluntate illam dandi, siue efficaci, siue inefficaci, absoluta aut conditionata: ut diximus in secunda acceptione prædestinationis. Quo sensu asserimus omnes homines esse prædestinatos ad gloriam, efficaciter aut ineffaciter, iuxta illud 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines salvos fieri.* Secundò pro voluntate tantum efficaci dandi gloriam, vel dandi gratiam, ut diximus in tertia acceptione vocis, prædestinatio. Quo sensu affirmamus prædestinationem circa ea tantum versari, quæ in hominibus vel in Angelis re ipsa efficiuntur: licet iuxta alteram acceptionem dicantur prædestinari etiam ad illa quæ re ipsa non efficiuntur, quia Deus non ea voluit absolute facere, sed dependenter à conditione requisita ex parte creaturarum, quæ posita non fuit.

Non puto autem Apostolum Ephes. 1. v. 4. & 5. loqui hoc sensu de prædestinatione, cum ait: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati, &c.* Etenim eligere, est unum præ alio sumere, aut aliqua è pluribus eligibilibus. Atqui Deus in prædestinatione generalitè sumpta pro quacunque voluntate, siue efficaci, siue inefficaci, absoluta vel conditionata, dandi gratiam & gloriam, omnes comprehendit: ergo per illam non elegit. Ergo de illa non loquitur Paulus, cum ait: *Elegit nos, &c.*

Nec obest id quod vltimò obijciatur. Dico enim Paulum pie supposuisse, ut fieri solet, bene de omnibus præsumendo, Ephesios quibus scribebat, esse in statu gratiæ. Quæ quæ non vltimò sumino universalis, omnia. Et si vteretur, posset intelligi moraliter de ferè omnibus. Indefinitè autem loquendo, potest accommodatè exponi de omnibus qui erant sancti & immaculati, id est, iusti & Deo grati, & sensus sit: Nos qui sumus iusti, debemus hoc Christo: quia vivimus in ipso, id est, propter ipsum, electi à Deo, ut essemus iusti, præ multis alijs qui tales non sunt.

Quartò, denique sumitur prædestinatio strictissime, & vltimatissime, pro decreto absoluto & efficaci conferendi gloriam, siue sit antecedens, siue consequens, quod a iure quàm ex vi vocis, decidendum est. Nam particula, *præ*, antecessionem temporis significat, ut supra diximus, non autem necessariò antecessionem ad merita, etiam prævisa, ut volunt aliqui. Hoc quarto sensu soli illi qui salvantur, sunt prædestinati: & ita meritò dicuntur antonomastice, quatenus subsunt decreto præclarissimo, & favorabilissimo,

Hh 4

13. Quartò sumitur prædestinatio pro decreto absoluto & efficaci dandi gloriam.

TINO  
US  
in part  
VI

Anselm.

11.



de re maxime Deo placita. Quod decretum ideo dicitur antonomastice & absolute Decretum, Destinatio, Prædestinatio. Eoque sensu loquitur Trid. sess. 6. can. 17. cum damnat affirmantes iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere: reliquos vero omnes qui vocantur vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote diuina potestate prædestinatos ad malum. Et S. August. lib. de bono perseuerantiæ c. 14. fere initio, cum sic ait: Prædestinatio sanctorum, nihil aliud est, quam præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur (nisi potius, ut etiam notat Valquez, prædestinatio strictius sumitur à D. August. pro preparatione gratiæ & mediorum efficacium, quam distinguit ab electione, quæ est intentio efficacis dandi gloriam.) Eodem sensu de prædestinatione loquitur D. Thom. tota q. 23. cui opponit reprobationem, de qua præcipue differit art. 3. quæ, ut ibidem ait in corp. præter actum intellectus & præscientiæ diuinæ, includit voluntatem, absolutam scilicet & efficacem, perferendi aliquem cadere in culpam & inferendi damnationis pœnam proculam, siue sit sermo de pœna sola damni, qualis est in decedentibus cum peccato originali solo: siue etiam de pœna sensus, qualis infalsis. Postò ut antea diximus de prouidentia generatiue ad totalem conceptum illius pertinere non solum actum intellectus & voluntatis, sed etiam executionis: sic in præfenti de prædestinatione & reprobatione censendum est: si sumatur prædestinatio pro totali prouidentia supernaturali circa salutem hominum & Angelorum. Strictius ramen absolute dicta prædestinatio sumitur à Theologis pro decreto illo æterno, cuius executio non est pars, sed effectus temporaneus & extrinsecus. Sic autè sumpta prædestinationis subiectum, id est, res quæ prædestinatur, non est aliud quam creatura intellectualis. Obiectum verò, id est, id ad quod prædestinatur, est gloria, & quicquid ad illam efficaciter consequendâ necessarium est creaturæ intellectuali; ut gratia sanctificans, sacramenta auxilia gratiæ, & alia salutis adiuuenta: sed hæc omnia habent rationem mediij respectu gloriæ, in qua consummatur executio prædestinationis.

Subiectum  
& obiectum  
prædesti-  
nationis.

14. Ambrosius Catharin. in opusc. lib. 1. de prædest. cap. vlt. & in caput 8. epistolæ ad Rom. vult prædestinationem significare quandam prælationem & excellentiam eius qui dicitur prædestinari: aitque non omnes qui saluantur, esse prædestinatos: sed tantum eos qui sunt insigniores, quales sunt aliqui sancti ex mij, sed ante præuisionem operum fuerunt antecedenter & efficaciter electi ad gloria, licet de salute aliorum Deus non absolute decreuerit, nisi consequenter ad præuisionem operum. Unde addit multos saluari, qui non sunt prædestinati. Sed hæc opinio Catharini singularis merito ab

omnibus alijs rejicitur, repugnatque Augustino lib. de dono perseuerantiæ cap. 14. de finienti, Prædestinationem sanctorum esse præscientiam & preparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Et Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 36. Fulgentio aienti: Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum quos prædestinauit ad regnum calorum: nec quengnam eorum, quos non prædestinauit ad vitam, vlla posse ratione saluari. Et Apostolo Rom. 8. vbi generatim de Christi fratribus & coheredibus, hoc est, de saluandis omnibus, ait: Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, iustificauit, glorificauit. Maneat ergo prædestinationem significare generaliter voluntatem Dei efficacem saluandi eos omnes, qui re ipsa felicitatem æternam consequuntur. Cui opponitur voluntas efficacis rejciendi ab illa felicitate, & damnandi eos omnes qui ab illa excidunt, quæ voluntas appellatur à Theologis Reprobatio.

## SECTIO II.

An & quomodo Deus creaturæ intellectualis aliquas ad vitam æternam prædestinauerit, alias reprobauerit?

15. Hoc igitur ultimo sensu accepta voce prædestinationis, ut in præfenti disputatione sumitur, fide diuina certum est Deum aliquas creaturas intellectuales prædestinasse ad vitam æternam, & alias reprobasse & damnasse ad mortem. Patet ex Pauli verbis proxime relatis, Quos præsciuit & prædestinauit, &c. Rom. 8. & Math. 25. Venite benedicti patris mei, possidere paratum vobis regnum, &c. Et paulo post, Descendite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Et ibidem hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Et 2. Tim. 1. Nouit Dominus qui sunt eius, &c. Vbi etiam eleganter comparat prædestinatos vasis aureis & argenteis in honorem; reprobo autem, vasis signeis & fictilibus, factis in contumeliam.

16. Ratione etiam Theologica suppositis principijs fidei, id euidenter demonstratur. Nam ex fide habemus multos de Angelis & hominibus consecutos esse vitam æternam, & alios morti æternæ fuisse addictos. Quorum primum fieri non potest, nisi Deo supra vires proprias iuuante, & efficaciter dirigente, & transmittente in vitam æternam, ut loquitur S. Thom. q. 23. art. 1. in corp. Secundum etiam fieri non potuit, nisi Deo pœnam illam constituyente, & ad illam efficaciter ordinante, quamuis non nisi consequenter, præsuppositâ culpâ.

De modo autem quo diuina voluntas se habuit in efficaciter prædestinando & repro-



bando, magna est controuersia. Difficultas in eo præcipue consistit, an Deus ante præuifa merita vel demerita, vel statum bonum aut malum finalem, pendente ex usu, aut abusu, vel non usu mediatorum salutis, quosdam prædestinauerit, alios reprobauerit, an contra? Qua de re, Prima sententia, seu potius abominanda hæresis Caluini & sequacium est, Deum æterno suo consilio seu decreto, ratione prius quam præuideret peccatum originale, vel cuiuscunque æterius bona vel mala opera, hoc est, independentem ab illis, & non accepta occasione ab illis ut præuifis, destinasse aliquos ad vitam: alios ad mortem & damnationem. Ita Caluini. lib. 3. Instit. cap. 23. num. 4. loquens de peccato originali, & respondens huic objectioni, *Nonne ad eam, que nunc pro damnationis causa obtenditur, corruptionem, Dei ordinatione prædestinati ante fuerunt?* sic ait: *Fateor sanè in hanc, qua nunc illigati sunt conditionis miseriam, Deo voluntate decidisse uniuersos filios Adam.* Atque id est quod principio dicebam, *ad eundem tandem semper esse ad solum diuina voluntatis arbitrium, cuius causa est in ipso descendit.* Et num. 7. *Decretum, inquit, horribile, fateor. Inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: id est, præsciuerit, quia decreto suo sic ordinauerat.* Et cap. 21. num. 5. *Prædestinationem, inquit, uocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit quid de unoquoque homine fieri uellet. Non enim pari conditione creantur homines, sed alijs uita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in æternum finem quisque conditus est, ita uel ad vitam, uel ad mortem prædestinatum dicimus.* Et cap. 22. num. 3. *Ubiunque uero regnat hoc Dei placium, nulla in considerationem ueniunt opera.* Et inferius num. 11. *Ut enim Iacob, nihilum bonis operibus promeritus, assumitur in gratiam: sic Esau, nihil ad hoc scelere inquinatus, odio habetur.* Et, *Si ad opera conuertimus oculos, iniuriam irrogamus Apostolo, &c. Uides ut in solum Dei arbitrium utrumque conferat? Ergo si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet: neque etiam in alijs reprobandis aliud habebimus, quam eius uoluntatem.* Et in epistolam ad Rom. ad cap. 9. v. 12. *Impij sunt à Deo destinati creati & perirent.* Similia habet Beza in cap. 9. epistolæ ad Rom. Et Hieronymus Zanchius Caluinista lib. 5. de natura Dei Cap. 2. *Parem, inquit, facimus electionem & reprobationem in ipsarum causa. Nam sicut Deus prædestinat, Iacob non ex operibus, sed ex prædestinantis gratia: sic etiam reprobat Esau non ex operibus, sed ex libera odio prosequenti & reprobanti uoluntate.*

Ad eundem errorem planè alludit articulus duodecimus confessionis fidei Caluinistarum Gallorum, cum ait loquens de electis & reprobis, *Illos, id est, electos, æterno & immutabili Dei consilio fuisse secretos è*

generali corruptione & condemnatione, sola Dei bonitate & misericordia, nullo habito respectu ad ipsorum opera. Istos uero, nempe reprobos, in corruptione & condemnatione relictos fuisse à Deo, ut in illis ostenderet suam iustitiam: sicut in alijs suam misericordiam. Nam uni non sunt alijs miseresiores, donec Deus eos discernit immutabili suo consilio, quod determinauit in Christo ante mundi creationem. Hucusque Gallicana confessio. Itaque causa cur illi eligantur, & isti reprobentur, non est quia illi sunt meliores, & isti deteriores: sed causa est sola Dei uoluntas, secernens alios ab alijs pro suo mero beneficio.

Huic errori blasphemus, & abominandus, alium addunt: nempe quòd illud Dei decretum æternum, & immutabile, nulli arbitrij nostri libertatem in negotio prædestinationis, imponitque necessitatem inuitabilem, illis ut saluentur, istis ut damnentur. Et consequenter imponit illis necessitatem bene agendi, vel non carendi medijs necessarijs salutis: contra uero istis imponit necessitatem male agendi, vel carendi medijs necessarijs. Sic enim habet Caluinus lib. 3. instit. cap. 23. num. 8. *Aiunt (Catholici Theologi) Deo permittente, nos autem uolente, perire impios. Sed cur permittit dicemus, nisi quia ita uult? Quoniam nec ipsum quidem per se probabile est, sola Dei permissione, nulla ordinatione, hominem sibi accessisse interitum. Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri uoluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessario futurum quod ille uoluerit.* Et lib. 2. cap. 3. n. 10. *Ac uoluntatem mouet (Deus) non qualiter multo seculis traditum est & creditum, ut nostre postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut resistere: sed illam efficaciter efficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum, repudiari necesse est, Quem trahit uolentem trahit.* Et lib. 3. ca. 23. num. 9. *Excusantes peccato haberi uolunt reprobi, non euadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cum ex Dei ordinatione iniiciatur sibi huiusmodi necessitas. Nos uero inde negamus uitæ excusari: quandoquidem Dei ordinationi, quæ se exitu destinatos conueruntur, sua consistet æquitas, nobis quidem incognita, sed illa certissima.* Et cap. 21. num. 7. *asserit Deum ex intentione perdendi reprobos, præcludere illis uiam salutis. Quosdam, inquit, Deus exitio deuouet, quosdam damnationi addicit, usque incomprehensibili iudicio uitæ electum præcludit.* Et cap. 24. num. 12. *Quos in uitæ contumeliam, & mortis exitium creauit, ut ira sua organa forent, eos ut in finem quem perueniant, nunc audiendi uerbi sui facultate priuat, nunc eius prædicatione magis excæcat & obstupefacit.* Et paulo post, num. 13. *Ecce uocem ad eos dirigit, sed ut magis obscurdescant. Lumen accendit, sed ut reddantur cæciores. Doctrinam profert, sed quæ magis obstupefacit. Remedium adhibet, sed*

19.  
Caluini  
blasphemus  
de necessitate  
illata hominibus  
Deo ad peccatum  
& perditionem.

17

Hæresis  
Caluini de  
prædesti-  
natione.

Beza.

Zanch.

18.



ne sanentur.

Et lib. 1. Infit. cap. 18. rejicit distinctionem Theologorum Catholicorum inter agere, & permittere. Absurdum, inquit, videtur, valente ac iubente Deo excacari hominem, qui mox cecitatis sue penas daturus est. Tergiverfando itaque effugiunt hoc fieri. Ipse verò palam se facere pronuncians, offugium illud repudiat. Et post enumerata multa hominum demonumque peccata, sic ait num. 2. circa finem: *Vnde apparet certa Dei destinatione fuisse impulsos, ad peccata de quibus ibi loquitur. Fateor quidem, interposita sathane opera sepe Deum agere in reprobis: sed eius impulsu sathan ipse ipse suas partes agat, & proficiat quatenus datum est. Itaque ex Calvini sententia Deus vel ipsum Dæmonem impellit ad male agendum, & ad homines perdendo. Dicitur etiam idem sathan excacare fidelium mentes: sed vnde hoc, nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendacis credant, qui remunt parere veritati? secundum priorem rationem dicitur, si Propheta quippiam locutus fuerit mendaciter, ego Deus illum decepi. secundum alteram vero, dicitur ipse dare omnes homines, in reprobum sensum, & progere in fedes cupiditates: quia iustitiae suae vindicta præcipuus est author, sathan verò tantum minister. Itaque Deus, iuxta Calvinum, est auctor peccati infidelitatis, & fedarum cupiditatum, quarum diabolus tantum minister est. Et post pauca: Summa hæc est: cum Dei voluntas dicitur rerum omnium esse causa, providentiam eius statui moderatricem in cunctis hominum consiliis & operibus: ut non tantum vim suam exerat in electis qui spiritu sancto reguntur, sed etiam reprobos in obsequium cogat. Et in epistolam ad Rom. ad cap. 1. v. 24. Certum est non sinendo tantum, & connivendo, Deum permittere homines proli: sed in isto iudicio sic ordinari, ut cum à propria conscientia, tum à diabolo, in quosmodi rabiem agantur. Ideo tradendi voce vritur (Paulus scilicet verbis illis, tradidit eos in reprobum sensum) quam vocem non violenter torquent, qui sola Dei permissione in peccatum agi nos putant. Itaque Deus, iuxta Calvinum, reprobos ad peccandum trahit, necessitat, impellit, & cogit, estque auctor fedarum cupiditatum in quas labuntur. Quæ omnia sunt adeo blasphemia, ut plerosque Calvinistarum pudeat tam execrabilis sententia: Alij dicant falso illi tribui, propter quos opera præteritum fore iudicant, tot tamque spertis Calvinus verbis illam probare, ut luce clarius appareat, sic illum sensisse, & constanter plurimis locis docuisse.*

21.  
Sententia Thomistarum de peccatione & reprobatione antecedente.

Secunda sententia est quorundam Thomistarum, qui docent primò, Deum antecedenter ex mero suo benefacito & ante omnem prævisionem bonorum vel malorum operum, vsusque, aut abusus vel non vsus mediatorum, voluisse absolute & efficaciter saluare aliquos, eos scilicet omnes qui

saluantur: ceteros autem, id est, eos omnes qui re ipsa damnantur, exclusisse à salute, non modò negatiuè, id est, non eligendo illos, & non volendo efficaciter saluare: sed etiam positiuè voluisse, excludere à gloria. Ita Didacus Aluarez disput. 110. de auxilijs num. 8. conclusione 1. vbi sic habet: *Reprobatio qua Deus statuit non dare aliquibus (id est omnibus ijs qui damnantur) vitam eternam, & permittere peccata eorum, non est conditionata, sed absoluta: nec presupponit in Deo præscientiam vel prævisionem demeritorum ipsius reprobis, aut perseverantiam in peccato vsque ad vltimum vite. Et disput. 109. num. 6. conclusione 1. sic habet: *Actus positifus, quo Deus ab eterno voluit non admittere quosdam in suam regnum, non fuit conditionatus, sed absolutus, antecedens in signo rationis præscientiam mali vsus liberi arbitrii, futuri ex hypothese quod constitueretur in tali ordine rerum: Et nimirum multò magis præscientia iusdem absolute futuri. Et disput. 34. n. 3. concl. 1. affirmat, voluntatem Dei antecedentem esse illam, quæ fertur in obiectum aliquod absolute consideratum & secundum se: dicitque antecedentem, non quia antecedat bonum vel malum vsum postri arbitrii, ut aliqui asserunt: sed quia antecedit voluntatem, quæ Deus fertur in obiectum consideratum cum alio adiuucto, quæ est consequens & posterior consideratio eius: Tum in secunda conclusione sic ait: *Si consideretur salus reproborum secundum se & absolute, sic est à Deo volita. Si autem consideretur secundum quod habet adiunctam priuationem aut carentiam maioris boni, videlicet boni vniuersi, manifestationis iustitiæ diuinæ in reprobis, & maioris splendoris misericordie eius in electis: sic non est volita à Deo. Et secundum hoc asserimus quod voluntate consequente Deus non velit omnes saluos fieri, sed solum præ-***

22.  
Observatio circa præsentiam

Vbi Nota primò, authorem hanc intelligere voluntatem consequentem, iuxta applicationem à se datam in prima conclusione, quæ scilicet non dicatur consequens, quia subsequitur vsum nostri arbitrii: sed quia subsequitur voluntatem Dei antecedentem de salute reprobatorum absolute considerata, abstrahendo ab eo quod impedit maius bonum decoris vniuersi, & splendoris iustitiæ diuinæ: vel potius voluntatem quæ circa illam esset, si talem splendorem & decorum non impediret: nam ut addit in quarta conclusione, *Voluntas illa antecedens importat formaliter in Deo actum conditionatum, quo veller salutem omnium, nisi ex hoc impediretur pietas vniuersi, & bonum vniuersale diuinæ iustitiæ & misericordie. Itaque iuxta doctrinam Aluaris, Deus non habet circa reprobos hunc actum voluntatis, Volo illos saluare, si per eos non iter, id est, velint meæ gratiæ cooperari: Sed, Vellem eos saluare, nisi per hoc impediretur pulchritudo vniuersi, & bonum vniuersale iustitiæ & misericordie. Cum tamen*



de contrario Scriptura sapius asserat Deum re ipsa velle saluare reprobos, si velint ipsi cooperari. Quoties voluit congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluit? Math. 23. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Osee. 13. Nunquid voluntatis mee est mors impij, & non magis vt conuergatur & vivat? Ezech. 18.

Nota secundo, iuxta eandem doctrinam; primam causam, eamque efficacem reprobationis, esse quia Deus vult pulchritudinem vniuersi; & bonum vniuersale suae iustitiae & misericordiae, quae magis splendent in salute aliorum duntaxat, & damnatione aliorum. Et quia Deus ante considerationem nostrorum operum voluit illam pulchritudinem vniuersi, & splendorem suae iustitiae & misericordiae: voluit salutem virtualiter, & implicitè, quidquid ad illam necessarium est. Adeoque voluit damnationem reproborum, ante omnem considerationem operum. Item, quia quicumque vult absolute & sicaciter finem, auersatur efficaciter & positiue non vult, saltem virtualiter, quidquid finis affectioni contrarium est: sequitur Deum noluisse & auersatum esse efficaciter salutem reproborum. Addo ex doctrina eiusdem Authoris, Deum non modo non voluisse saluare omnes: sed nequidem velle potuisse: quia non potest velle id quod non est appetibile. At salus omnium non est appetibilis, iuxta illius sententiam: Quia bonum particulare cum detrimento maioris boni non est appetibile. Salus autem omnium est bonum particulare, cum detrimento maioris boni: Ergo non est appetibilis. Conclusio est euidens. Maior autem & minor sunt ipsamet doctrina Aluaris disp. illa 34. in probatione conclusionis 2. vbi sic habet: Bonum particulare, cum detrimento maioris boni non est appetibile, cum ex adiunctis inducit rationem mali. Sed si omnes vniuersaliter saluarentur, impediretur bonum vniuersale prouidentiae diuinae, ac perfectio vniuersi, ad quam requiruntur diuersi gradus in rebus, & quoddam illis quaedam supremum, quaedam infimum locum teneant. Impediretur etiam manifestatio iustitiae diuinae, & maior splendor misericordiae eius circa electos, quae bona sunt mundo maiora quam salus aliquorum. Ergo, &c. Hae Aluares. Quae quomodo cohaerent cum doctrina Apostoli 1. Tim. 2. Vult omnes homines saluos fieri, &c. videbimus disp. sequenti sect. 2.

24. Quoniam autem decretum illud diuinum saluandi aliquos, & excludendi alios a salute, est efficax & infallibile, anteceditque, iuxta Thomam, omnem scientiam mali aut boni vsus nostri arbitrij, non modo absolutam, sed etiam conditionatam: docent secundo Deum, in alio signo rationis, quae media elegit, ad decretum suum exequendum, & ad finem intentum infallibiliter consequendum idonea, selegisse omnibus sal-

uandis, id est, ijs omnibus quos ratione prius saluare decreuerat, & elegerat in particulari hunc & illum, & intanto numero, & ad tantum gloriae gradum, ad quem tandem perueniunt (nam volunt omnia fuisse in illo antecedenti decreto determinata, & definita, ante prauiusquam operum) selegisse inquam, omnia in indiuiduo efficienter praedeterminantia, quibus positis necessarium foret in sensu composito illos mereri, aut aliter consequi gloriam in tali gradu. Circa reprobos vero, statuisse vel negare illis auxilium physico praeterminans ad bene operandum, aut ad non peccandum, sine quo impossibile est vt bene operentur & saluentur, aut vt non peccent: vnde etiam selegisse media physice praedeterminantia ad actus malos propter quos damnantur, vt docet idem author qui supra, disput. 11. de auxilijs, n. 3. concl. 1. vbi sic habet: Deus certo & infallibiliter cognoscit omnia peccata futura in decreto, quo statuit praedeterminare voluntatem creatam ad entitatem actus peccati, in quantum actio eius est: & permittere malitiam moralem peccati, seu peccatum ipsum vt peccatum est, non dando auxilium efficax ad illud vitandum. Et paulo post: Probat, inquit, quia sine auxilio efficaci praedeterminante liberum arbitrium ad actum virtutis, nunquam homo producit illum actum. Ergo in decreto quo Deus statuit non dare Petro v. g. tali tempore auxilium efficax ad actum virtutis, qui est in praeepto, scit quod Petrus non producit illum actum: ac per consequens scit quod peccabit omissionis peccato. Praeterea, inquit, id ipsum probatur de peccato commissionis. Nam in decreto, quo Deus praedeterminauit voluntatem Petri ad actum peccati, in quantum actus est, certo cognoscit quod producit illum actum. Ergo si ex alia parte permittat eiusdem actus malitiam moralem, & quod Petrus deficiente ad regulae rationis eundem actum producat, erit infallibile quod Petrus peccet, ac per consequens id certo cognoscet Deus. Haec ille: qui frustra requirit permissionem ad id quod non potest non euenire, supposito quod Deus praedeterminet ad entitatem actus in ijs circumstantijs in quibus voluntas, creata, habens debitum non agendi, & aduertens ad illud debitum, non potest non habere malitiam moralem, & deficere a regulae rationis, actum illum producendo.

25. Male item putat se à Caluini sententia recedere, cum ait disp. 121. in fine, Caluinum non errasse asserendo, Deum aeterno decreto suae voluntatis, cui nulla creatura potest resistere, praedeterminasse omnes actus bonos, qui in tempore sunt: sed errasse (vt ait ibidem initio numeri citati) quoniam asseruit Deum ita efficaciter mouere, & efficere hominis voluntatem, vt postea non sit nostrae electionis motioni eius aut obtemperare, aut resistere. Nos autem, inquit, dicimus è contrario, quod quamuis Deus moueat efficaciter liberum arbitrium,

Aluares

25. Examina- tur doctrina Aluares

TINO  
US  
um part  
VI

Secundum  
documen-  
tum sen-  
tentiae  
Thomista-  
rum.



ut infallibiliter & indeclinabiliter conuer-  
ratur & pie operetur, nihilominus liberum  
nostrum arbitrium potest motiōi Dei vel  
obtemperare vel refragari, & ut loquitur  
Concilium Trident. illi dissentire, si velit.  
Ad id quod quamuis fieri non possit hæc  
duo simul esse vera, quod scilicet liberum  
arbitrium efficaciter moueatur à Deo ad pie  
operandum, & non operetur: nihilominus  
hæc duo simul sunt compossibilia, quod scilicet  
liberum arbitrium efficaciter moueatur à Deo ad pios actus, & possit eisdem ac-  
tus non operari si velit. Et propterea vo-  
luntas in suis operationibus manet libera.  
Hæc ille. In cuius verbis non possum non  
mirari apertam contradictionem. Nam si fieri  
non potest, id est, si est impossibile, & incom-  
possibile hæc duo simul esse vera, quod scilicet  
liberum arbitrium efficaciter moueatur  
à Deo, & non operetur: fieri quoque  
non potest, id est, impossibile est & incom-  
possibile obiectum huius propositionis:  
quod scilicet liberum arbitrium efficaciter  
moueatur à Deo, & simul non operetur. Si  
autem est impossibile, ut simul non opere-  
tur, non potest simul non operari. Ergo hæc  
duo simul sunt incompossibilia, quod scilicet  
liberum arbitrium efficaciter moueatur à  
Deo ad pios actus, & possit eisdem actus  
non operari. Quare hæc duæ Aluaris pro-  
positiones sunt aperte contradictoriæ: Fieri  
non potest hæc duo simul esse vera, quod  
scilicet liberum arbitrium efficaciter moueatur  
à Deo ad pie operandum, & non ope-  
retur: & hæc duo simul sunt compossibi-  
lia, quod scilicet liberum arbitrium efficaci-  
ter moueatur à Deo ad pios actus, & possit  
eisdem actus non operari si velit: id est, li-  
berum illi sit non operari.

26.

Cum autem iuxta doctrinam eiusdem au-  
thoris par sit incompossibilitas prædetermi-  
nationis diuinæ ad actus malos, cum eorum  
negatione; id est, æquæ fieri non possit hæc  
duo simul esse vera, quod liberum arbitrium  
efficaciter moueatur à Deo ad entitatem  
actus mali, & voluntas non illum operetur;  
sequitur prædestinationem diuinam inducere  
necessitatem tam ad actus malos, quam  
ad bonos, iuxta Caluini sententiam. Cum-  
que, ut supra dixi, impossibile sit Deum  
prædeterminare physice voluntatem  
tam in talibus circumstantijs antecedenti-  
bus, puta cum aduertentia debiti ad non pie  
operandum, & non esse malitiam moralem,  
a deuinationem à regula rationis; sequitur  
Deum necessitare voluntatem creatam ad  
malitiam moralem, esseque auctorem pec-  
cati, etiam formaliter sumpti. Neque enim  
Aluarem excusat dicere, Deum non inten-  
dere directe malitiam peccati, neque illam  
velle per se. Nam, ut Caluinus quidem id  
asserit, sed ait Deum æquissima voluntate in-  
tendere decorem suæ iustitiæ, & alios bonos  
fines, propter quos vult damnare aliquos,  
imponitque illis necessitatem ut peccent &  
damnentur. Et nihilominus damnatur Cal-

uinus cum asseclis, quod Deum, ita necessi-  
tantem, faciat auctorem peccati. Quare  
non video quomodo bene hac in parte suam  
sententiam distinguat Aluares ab errore  
Caluini, quæ sit tamen cum omnibus Catho-  
licis merito execratur.

Sed neque in priori eius parte satis eam  
distinguit. Nam si Deus ante omnem præ-  
uisionem omnium operum, vult pulchritu-  
dinem vniuersi, elucet in eo, quod ali-  
qui saluentur, & alij damnentur, decorem  
quæ suæ iustitiæ & misericordie magis in eo  
splendentem: & actu positivo suæ volunta-  
tis ante omnem præuisionem operum statuit  
absolutè non dare aliqui vitam æternam, vol-  
uitque non admittere quosdam ad suum regnum,  
ut ait Aluares verbis relatis supra num. 21.  
imò quia voluit efficaciter & absolute finem  
illum pulchritudinis vniuersi, adeoque vo-  
luit medium necessarium ad finem illum as-  
sequendum, quod medium est damnatio ali-  
quorum: non video quomodo verum non sit  
id quod supra retulimus ex Caluino, Deum  
non omnes creare pari conditione: sed  
alijs vitam æternam, alijs damnationem æ-  
ternam fuisse præordinatam. Et, vbi-  
cunque regnat hoc Dei placitum, nulla in con-  
siderationem veniunt opera, ad ita primò vo-  
lendum & decernendum: Et, solum diuini  
arbitrii utrumque confirmare electionem scilicet  
ad gloriam, & damnationem: ac deni-  
que in assignanda causa electionis illius, &  
reprobationis, antecedentis præuisionem  
operum, nihil aliud nos habere, quam eius  
voluntatem.

Tertia sententia est suavis lib. 1. de præ-  
destin. cap. 8. & sequentibus: & lib. 5. cap.  
5. & opusculo 1. lib. 2. cap. 16. & sequenti-  
bus: quibus locustria maxime docet. Pri-  
mum est, Deum post præcognita ratione  
prius omnia possibilia, itemque conditiona-  
ta contingentia: ante vlla merita vel demeri-  
ta absolute præuifa, imò ante voluntatem  
suam ponendi homines (& idem docet de  
Angelis libro illo primo de prædestin. cap.  
9.) in ijs circumstantijs, in quibus possint me-  
reri aut demereri; decreuisse absolute, &  
simpliciter, atque omnino efficaciter, ex  
omnibus hominibus possibilibus seligere ali-  
quos determinate, hos & illos, & glorifica-  
re: namque eos omnes qui glorificabuntur,  
idque in eodem gradu gloria, quem conse-  
quentur, alij maiorem & alij minorem: ita  
ut Deus voluerit illam varietatem per mo-  
dum vniuersi operis politici perfecti, habentis  
proportionem ordinis excellentem: certus  
iam per scientiam conditionatam, & sim-  
plicis intelligentiam, sibi non deesse media  
ad perducendum illos in eum finem, etiam  
liberè ex parte ipsorum. Cuiusmodi caruis-  
se Deum simili affectu erga omnes alios: Et  
eatenus dici dilexisse & elegisse primos illos  
efficaciter & absolute ad gloriam, & præde-  
stinasse, id est, præordinasse ad illam, non  
ex meritis vllis, sed merè gratis: Alios vero  
pæ illis primis, despexisse secundum talium  
modum



modum electionis, & eatenus reprobasse etiam ante visa demerita. Reprobasse, inquam, ad quidem positivè, id est, volendo exclusionem à gloria, sed negativè, non volendo scilicet absolute & efficaciter gloriam, ut voluit primis illis: sed tantum hypotheticè, si cooperarentur medijs à se postea destinandis, quibus tamen re ipsa nemo ex tanta multitudine cooperaturus erat. Imo erat certum, & infallibile vi talis reprobationis, neminem cooperaturum & salutem consecuturum. Sicut vi electionis erat certum & infallibile omnes sic antecedenter dilectos & electos, fore saluos.

39. Secundum est, vi illius electionis absolute & efficacis, consequenterque ad illam, Deum prædefiniisse efficaciter omnes actus bonos electorum, & omnia media salutis efficaciter: elegisseque ex omnibus seriebus possibilibus mediorum ad destinatam gloriam, eam quæ iam est, in qua prævidebat per scientiam mediam, hos salvandos in tali gradu, quos in priori rationis saluare constituerat, & elegerat ad talem gradum gloriæ. Elegisse, inquam, ea media vel auxilia per quæ videbat fore v. peruenirent ad illum gradum gloriæ, elicerentque omnes actus bonos, in ea quantitate, qualitate, & intensione, quam prædefiniuerat efficaciter & infallibiliter. Vult enim hæc sententia Deum prædefiniuisse antecedenter & efficaciter omnes actus bonos ad salutem pertinentes, eo numero, & specie, & mensura, quæ sunt. Alijs contra elegisse gratias, præsertim finales, quas prævidebat scientiæ mediæ futuras incongruas, id est, sine effectu.

40. Tertio denique, prævidisse Deum post hanc volitionem efficacem mediorum, status finales utrorumque, quales iam sunt, ut absolute futuros. Et hoc prævisio, voluisse dare vni gloriam propter bonum statum finalem: alijs negare, & positivè reprobasse, ob statum analem malum. Hucusque Suares. Iuxta quem, Deus habuit duplicem volitionem gloriæ erga prædestinatos. Vnam merè antecedentem, quam vocat per modum intentionis, & per viam misericordiæ: aliam consequentem, per modum executionis, & per viam iustitiæ reddentis mercedem bonis operibus.

Bellarmin. Idem cum Suares docent Bellarm. tom. 3. lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 10. & sequentibus; alique non pauci. Quorum sententia recedit quidem longissime à Caluino, in eo quod non imponunt antecedentem necessitatem agendi electis & reprobis: Saluant enim libertatem in singulis & omnibus actionibus moralibus, per usum scientiæ mediæ, quæ Deus nonit, ratione prius quam mediæ eligat, quid creaturæ sint liberè operaturæ, si tali modo vel tali præueniantur. Differt etiam à sententiâ Thomistarum, in eo quod non vult Deum reprobasse positivè ante præuisa demerita, vel malum statum finalem; neque admittit physicam prædeterminationem ad actus bonos & ma-

Tomus I.

los, & antecedentem necessitatem ad salutem aut damnationem ex illa ortam, sed libertatem saltem intrinsecam saluat. Veruntamen quia non satis bene sentire videtur de voluntate Dei circa salutem omnium, neque satis conuenire cum verbis Apostoli I. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*; in hac enim sententia Deus virtualiter & æquivalenter rejicit à gloria omnes eos qui non saluantur, idque antecedenter efficaciter & infallibiliter: ideo displicet plurimis gravissimisque Theologis quos pro sequenti opinione citabimus.

Quarta enim sententia, & vera est, Deum neminem antecedenter & à seipso, ne virtualiter quidem, reiecit à salute æterna: sed in rationis signo post scientiam necessariam ad proponendum obiectum liberè volibile, voluisse liberè omnibus hominibus, quos creare destinabat (& idem est de Angelis) gloriam antecedenter, & efficaciter aliquatenus, sed conditionatè: supposito nempe usu mediorum salutis ex parte creaturarum & bono finali statu: quem usum permisit creaturarum libertati, vel immediatè, ut adultis; vel mediatè ut paruulis, quorum salutem voluit per alios procurari. Similiter voluisse exclusionem à gloria, supposito sine malo. Quamquæ cum differentia, quod gloriam per se intenderit ut sibi placentem, illamque procurare, & ad eam promouere voluerit: at damnationem non nisi per accidens & consequenter ad abusum, vel non-usum mediorum salutis, statumque malum finalem: ut pote cum per se displiceret, & placeret tantum ut consequens abusum, vel non-usum mediorum, & statum malum finalem, quem Deus procurare non voluit, sed permittere libertati creaturarum. Tum in alio signo rationis voluisse liberè & efficaciter omnibus dare mediæ, non physicè prædeterminantia, sed naturæ ac conditioni liberi arbitrij accommodata: dare, inquam, hæc mediæ in individuo, aliquibus maiora, minoræ, præsertim: idque communiter & ordinatè secundum cursum causarum naturalium & providentiæ communis: interdum verò aliter prout ipsi videntur esse conueniens, cum vero desiderio ut habeant effectum in omnibus: intendendo in illa, ut de se vtilia & efficaciter in actu primo, seu quantum est ex se, modo non desit voluntas illis vtendi & cooperandi ex parte creaturarum. Tum deinde in alio signo rationis vidisse statum finalem, ut absolute futurum per talis mediæ. Ad demum eo vno, voluisse absolute & efficaciter aut saluare, aut damnare, pro vario statu finali ut præuiso. Seu potius vultisse voluntatem suam conditionatam transitoriam esse in absolutam modo explicato disp.

31. Ir. num. 59. Quæ sententia quoad volitionem diuinam absolutam & simpliciter efficacem, quæ non fit nisi post præuisos status finales per scientiam visionis tam quoad salutem electorum, quam quoad exclusionem reproborum, est plurimorum Theologorum. Sic enim do-

Ii.

31. Vera sententia, Deum consequenter tantum prædestinasse, & reprobasse.

TINO  
US  
PART  
VI

32. Plurimi Theologi sunt in illa sententia.



Lectus.

cent apud Less. qui eos sequitur & citat in disp. de prædestin. Sanctorum sect. 2. num. 8. Alensis, Albertus Magnus, D. Bonavent. Henric. Argentinus, Ocham. Gabriel, Catharinus (quamquam hi tres cum restrictione aliqua, quia putant Deum nonnullis specialiter electis, vt Beata virgini, Ioanni Baptistæ, & similibus, voluisse gloriam antecedenter & efficaciter, atque absolue, ante præuisa merita, vt de omnibus prædestinatis Suares assererat: alijs non nisi post præuisa opera. Quod etiam placuit Mariana loco infra citando) Rubius, Maior, Albertus Pighius, Hieron. Ozorius, Ruardus Tappier, Driedo, Cardinales Sadoletus & Contarenus, Ekius, Stapletonus, Camerarius Bononiensis, Carthagena: quibus accedunt plures alij, vt Vasques disp. 89. & 90. Valentia q. 23. puncto 4. assertione 2. quatenus contendit volitionem gloriæ efficacem, si sit ante merita absolute præuisa, nec tantum hypotheticè, tollere libertatem: Molina ad q. 23. art. 5. disp. 1. membro 11. & 12. Becan. parte 1. cap. 14. q. 4. Franciscus Turrianus lib. de electione diuina, Cornelius à Lapide passim in Pauli Epistolæ, Mariana in tract. de morte & immortalitate lib. 3. cap. 6. 7. & 8. Maldonatus multis locis in Euangelia, Pennotus in propugnaculo humanæ libertatis lib. 6. cap. 21. & sequentibus, Herice disp. 23. cap. 10. Moncus disp. 4. selecta: Gamachus ad q. 23. cap. 6. conclu. 2. Maratus disp. 41. sect. 2. Citatur etiam ab Herice disp. 23. cap. 3. in fine Ioannes de Salas in tomo de grat. nondum typis excuso, tract. 15. disp. 14. lect. 2. Eandem Suares probabilem esse fatetur lib. 3. de auxil. cap. 16. & denique communem esse Sanctorum Patrum, & sacris literis, atque diuina æquitati, iusticiæ, misericordiæ, nec non humanæ libertati, pietati, & zelo præiæ alienæque salutis conformiorem præbebit ex sequentibus sectionibus.

## SECTIO III.

Vera sententiæ probatur ex Scriptura.

331

**A**C primò, quod ad Scripturam actinet, nullus omnino locus profertur potest, in quo electio efficax ad gloriam excludat præuisionem & conditionem operum, aut euentus finâlis. Contra verò, plurima loci sunt, in quibus illa præuisio & conditio manifeste exprimitur. Primum patebit infra, examinando loca ab aduersarijs obiecta. Et confirmari obiter ex Trident. sess. 6. can. 20. affertur ante Euangelium non esse absolutam promissionem vitæ æternæ sine conditione operum: respectu nempe adultorum, de quibus loquitur: & idem est de conditionibus necessarijs respectu paruulorum. Quod debet ita intelligi, vt nul-

Evidens.

libi Euangelica doctrina talem promissionem contineat.

Secundum liquet ex his & similibus locis. Matth. 25. Christus electos & reprobos ita compellat: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurui enim &c.* Et paulò post: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esurui enim & non dedistis mihi manducare &c.* Quibus verbis significat Christus regnum gloriæ paratum fuisse electis, ex bonis eorum operibus præuisis. Illa namque particula, enim, causam coniunctio est, & causam reddit propter quam regnum gloriæ fuit electis præparatum. Sicque ea verba interpretatur Chrysofost. hom. 60. in Matth. *Nam qui sciebam, inquit, vos antequam nati essetis, huiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuerunt.* Quare ex sententia Chrysofostomi, & Christi verbis bene intellectis, præscientia meritorum est causa præparationis gloriæ.

Respondent aduersarij, particulam, enim, denotare causam propter quam ordine executionis Deus voluerit dare electis gloriam: non autem propter quam ordine intentionis illam primo instanti efficaciter intendit. Aiunt enim Deum primò & antecedenter, atque à seipso, intendisse gloriam electis omnibus efficaciter, sed tamen obtinendam per merita in fallibiliter futura, & pendentem in executione ab eiusmodi meritis. Gloria enim ordine executionis non datur electis nisi ex meritis. At ordine intentionis est destinata ante merita. Et idè Deus voluit talia merita, vel talia media in secundo instanti rationis: quia in priori voluit gloriam efficaciter.

Sed contra: quia Christus iuxta Chrysofostomi interpretationem, & naturalem verborum Christi sensum, affert merita vt causam ipsius etiam destinationis, seu præparationis gloriæ: quasi non aliter præparauerit illis specialiter præ alijs, nisi quia isti bene sunt operati: sicut alios specialiter destinauit igni æterno, quia male operati sunt. Ergo ante huiusmodi præuisionem non intendit illis gloriam efficaciter. Alioquin ex vi illius intentionis parare debuisset. Deinde Christus eodem modo loquitur reprobis & electis. Sicut enim electis ait, *Possidete paratum vobis regnum.* Esurui enim &c. Sic reprobis ait: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Esurui enim, & non dedistis mihi manducare &c.* At in verbis proxime relatis particula, enim, non solum denotat causam secundum ordinem executionis, sed etiam intentionis. Neque dici potest Deum ordine intentionis reprobos ad pœnam destinasse ante præuisa illorum demerita, licet ordine executionis nullum deputer ad pœnam nisi post demerita præuisa. Fuit enim hæc hæresis Prædestinatorum, iamdiu damnatorum in



Concilijs Arelatenſi & Lugdunenſi, de quibus Baranius tom. 6. ad annum Chriſti 490. à numero 17. ad 24. renouata à Caluino locis citatis ſect. 2. Sicut ergo in verbis ſequentibus, ex quibus tota Chriſti ſententia iudicialis componitur, particula, enim, denotat cauſam ſecundum ordinem non ſolum executionis, ſed etiam intentionis: cur non etiam in verbis antecedentibus, eadem particula denotabatur cauſam ſecundum ordinem intentionis? Nonne contraria interpretatio eſt arbitraria, & æquiocam facit Chriſti ſententiam, anſamque dat hæreticis & infidelibus irridendi noſtras Scripturæ expoſitiones ad eodẽ voluntarias?

Dices, Chriſtum hinc non loqui de ordine intentionis, ſed executionis, ſeu de ratione cur det electis gloriam, & reprobis infligat pœnam: ideoque Chriſti ſententiam non eſſe æquiocam: quia particula, enim, non aliud designat vtroque loco, niſi cauſam executionis. Confirmatur, quia ex noſtro argumento ſequeretur, Num ne quidem inefficaciter voluiſſe gloriam electis, antecedenter & à ſe: ſicut non voluit pœnam reprobis vllõ modo antecedenter & à ſe ſolo, citra præuiſa demerita. Confirmatur ſecundò, quia alioqui ſecundæ partiſ ſententiæ Chriſti ſenſus eſſet, ignem æternum paratum eſſe diabolo & Angelis eius: quia eſuriuit, & reprobi non dederunt ei manducare: quod eſt arbiſurdum: quia damnatio dæmonum non pendet à malis operibus hominum reproborum.

Ad primum Reſpondeo, Chriſtum in ſententia iudiciali ſuprà relata mentionem facere præparationis, & ac executionis: Cum ait, *Posidete paratum vobis regnum*: nam reddit cauſam quare det, & quare iſtis præparauerit, ſpecialiter ſcilicet, præ reprobis, id eſt, voluerit illis efficaciter præpoſt præuiſa bona ipſorum opera. Quare eum addit abſolutè, ac ſine limitatione ad vnum è duobus, *Eſuriui enim* &c. Non reſtringit particulam cauſalem ad vnum è duobus illis, neque ad ſolam executionem, vt volunt Aduerſarij: Et aliunde conueniens erat, vt Chriſtus vtriuſque rationem afferret, quod etiam Chryſoſtomus intellexit verbis ſuprà relatis. Idque non præuiſum facit ad æquitatem ſententiæ Chriſti, ſi intelligant homines cauſam cur boni fuerint à malis ſecreti efficaciter, etiam in ipſa intentione, non eſſe à Deo ſolo, ſed ex bonis operibus aut malis eorum præuiſis, neque ipſum quicquam vtrorumque cauſa præiudicaffe ante præuiſa opera. Ad id quod conſuetum eſt, vt cum aliquis ſolemniſter reddit rationem ſuæ executionis afferat aliquam principalem, præcipueque efficacem illius cauſam. At in ſententia Aduerſariorum, ſola principalis cauſa, fuit electio antecedens, cui reliquæ cauſæ prædeſtinationis quodammodo ſamulantur, ſuntque velut ipſius instrumenta. Deuiſſet ergo

dicere Chriſtus, Venite benediſti, quia ego vos antecedenter & efficaciter elegi, & propter hanc electionem præparavi accedendi media per quæ ſalus veſtra infallibilis foret. Quæ ratio vt patum valeret ad defendendam æquitatem ſententiæ Chriſti: ita parum faceret ad ſpecialem laudem & commendationem electorum præ reprobis, qui reſpondere poſſent. Si nos, & quiuſ alius, fuiſſemus antecedenter ſic electi, ſimilique prouidentia gubernati: egiſſemus quicquid illi egerunt. Neque enim antecedentem & efficacem prædeſtinationem fruſtrari potuiſſemus. Et contra, ſi illi fuiſſent præuenti & gubernati ſimili prouidentia antecedenti, quæ nos fuimus, æque ſua negligentia vel malitia perſiſſent.

Ad ſecundum, nego paritatem. Imperpetinenter enim in hac ſententia iudiciali, diſcernente bonos à malis, fieret mentio illius ſimplicis deſiderij, & intentionis inefficacis, communis omnibus hominibus. Quippe quos omnes voluit ſaluos fieri per illam intentionem, vt dicitur 1. Thimoth. 2.

Ad tertium Reſpondeo, Chriſtum reddere cauſam cur illis ipſis reprobis paratus ſit ignis æternus, æque ac diabolo & Angelis eius. Nimirum propter opera mala quibus dæmones imitati ſunt. Ita vt ſenſus ſit: *Ite malediſti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius, & vobis ſimiliter, ob mala veſtra opera. Quia eſuriui, & non dedidiſti mihi manducare &c.* Adde quòd Chriſtus ſententiam illam pronunciat vt iudex iuſtus, reddens ex iuſtitia commutatiua gloriam tanquam mercedem bene operantibus, & damnans ex iuſtitia vindicatiua male operantes ad pœnam æternam, vt confirmat Apoſt. 2. Tim. 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitie, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* At iudex non interdicere & decernit efficaciter vnus coronam, & alijs ſupplicium, niſi ex præuiſis ipſorum bonis aut malis meritis. Ergo illa intentio efficacis parum conuenit Chriſti officio atque ſententiæ iudiciali, præſertim illi quæ Chriſtus tam ſolemniſter æquitatem ſuam declarat in hominibus ad tam diuerſum ſtatum perpetuum, & tanti momenti deputandis.

Præterea idem Chriſtus Matth. 20. proponit parabolam operariorum, vt intelligatur quomodo Deus nobiſcum in cauſa ſalutis ſe gerat. Nimirum vt pater familias conducens operarios ad vineam ſuam culturam. Nullus autem ſapiens pater familias decernit alicui operariorum abſolute & efficaciter mercedem, niſi antea viderit an opus curnum præſtiterit. Ergo ſimiliter de Deo cogitandum eſt. Illa enim comparatio eo ſine proponitur à Spiritu ſancto, vt concipiamus Deum ſimili modo ſe gerere in decernenda mercede vitæ æternæ, quæ pater familias in decernenda mercede operariorum, ſemotis imperfectionibus. Nulla autem in eo eſt imperfectio, quòd Deus non decernat niſi ex infallibili præuiſione operum: quamuis non

Alia loca  
Scripturæ  
in fauorem  
illius ſententiæ.



debeat expectare temporalem eorum exhibitionem, quod esset imperfectionis: sicut est in hominibus, qui non sunt antea certi infallibiliter de executione operis à quo penderet conuentio. Idemque dico de alijs comparationibus, quibus in Scriptura Deus comparatur agonotheta decernenti brauium victori in certamine: Domino remuneranti seruis vigilantes, aut talentum bene impendentes: sponso admittenti tantum prudentes virgines sibi occurrentes cum accensis lampadibus.

37.

Paulus quoque ad Rom. 8. proponit gloriam ut daretur ex conditione & cognitione operum. Cum sic ait v. 17. *Si filii, & heredes &c. si tamen compatimur ut & conglorificemur.* Et v. 29. *Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui: id est, quorum præsciuit fidem & dilectionem, eos prædestinavit ut essent similes filio: quemadmodum Origen. Cyrill. Chrysost. Ambros. Theodoret. Theophylactus, & alij exponunt.* Et 2. Timoth. 2. vers. 20. & 21. *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quedam quidem in honorem, alia in contumeliam. Et quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem &c.* Quibus verbis ostendit Apostolus penderet à nostra cooperatione & munditie præuisa, quod simus vasa honoris & gloria.

Similiter Apocal. 3. v. 11. proponitur à Christo gloria data volitio ut suspensa ante præuisionem operum, & merito conditionata, his verbis: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et 2. Petri 1. v. 10. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Et Rom. 11. v. 28. *Vide ergo bonitatem Dei, & seueritatem. In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.* At qui salus non esset suspensa, neque eius certitudo penderet à bonis operibus & à perseuerantia, si fuit à Deo decreta absolutè & efficaciter ante præuisa opera, & ante præcitam perseuerantiam. Neque perseuerantiam in bonis operibus faceret certam nostram electionem; sed potius electio faceret certam perseuerantiam.

38.

Item proponitur gloria & salus eterna ut omnibus expectata antecedenti saltem voluntate per modum desiderij. 1. Tim. 2. *Salutem omnes homines saluos fieri &c.* Et ut omnibus data, quantum est ex parte Dei. Ezech. 18. à versu 23. & cap. 33. à versu 11. vbi Deus affirmat nolle se mortem peccatoris, sed velle ut conuerteretur & viuat: iuratque se omnibus quicumque sint illi, qui bene egerint, salutem gloriam: qui male, poenam: & prout transferint homines libera sua voluntate à bono in malum, vel contra; Deum attemperatum suam sententiam, sine acceptione personarum. Quæ omnia & conditionem à nobis posi-

tam expriment, & tacite rejiciunt voluntatem illam absolutam & simpliciter efficacem citra præuisionem. Alioquin quàm essent hæc simulatoria, aut etiam falsa, si Deus antecedenter & sine præuisione operum maximam hominum partem despexisset & exclusisset infallibiliter à gloria, eo modo quo docet contraria sententia? Adde quod Deus apud Ezechiel. & alibi, paulò ante dictum inculcat, ut excitet Iudæos & alios ad conuersionem. Ergo debent valere ad excitandum in sensu vero, qui solus sub fidem cadit. Essent autem omnino inutilia in sensu verò, si Deus haberet voluntatem absolutam circa electos, quam ponunt aduersarij; erga alios verò, voluntatem damnandi & excludendi à gloria, ut volunt duæ primæ sententiæ: vel de gloria ut querenda per media incongrua, sicut fateri coguntur Suar. & alij tertiæ sententiæ assertores, ut ostendemus num. 59. & seq.

Resurgunt effugæ aduersariorum circa relictam scripturæ testimonia.

Præcedentibus Scripturæ auctoritatibus in confirmationem nostræ sententiæ alatis satisfacere conatur Didac. Ruis, disp. 12. de prædest. sect. 1. 4. & 5. Et primo quidem testimonio adducto, ex cap. Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum &c.* respondet sect. 5. *Paratum, sumi quidem hoc loco pro, Prædestinatum: sed quod additur. Esuriet enim, non esse copulandum cum parato regno; sed cum venite, & possidete.* Ita ut iudex reddat quidem rationem tradendæ possessionis æterni regni, quod illis iure debetur propter opera: sed non rationem, quæ Patrem impulerit, ut illis potius quàm alijs pararet regnum: quod probat primum argumentum à nobis iam proposito, & refutato num. 35. & 36. Probat secundo ex verbis illis, *Benedicti patris mei*, quæ potius significant Deum sua prædestinatione fuisse causam totius felicitatis Sanctorum. Benedictio quippe diuina fere semper in sacris literis non supponit, sed causat bonum, quod dicit.

Verum, licet benedictio Dei interdum eo sensu usurpetur in Scriptura, ut Gen. 1. v. 28. *Benedixitque illis, & ait, crescite, & multiplicamini, & replete terram:* frequenter tamen significatur velut aliquid consequens ad bonum opus creatura, propter quod benedicitur à Deo specialiterque diligitur: ut Genes. 22. v. 16. & 17. *Quia fecisti hanc rem, & non peperisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli &c.* & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: quia obedisti voci meæ. Et Deuter. 28. à v. 1. vsque ad 14. promittit Deus populo Israël fore ut illi benedicat in omnibus, si vocem eius audierit, & mandata custodierit.



Sicut deinceps reliqua parte capitis minatur fore ei maledicatur, si secus fecerit. Huius verò generis esse benedictionem, de qua loquitur Christus verbis supra relatis ex Matth. 25. ostendit particula causalis proximè subiuncta, *Esurivi enim &c.* & similis modus loquendi in sententia lata contra reprobos. *Ite maledicti in ignem æternum &c.* *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Vbi certum est, particulam enim, significare causam æternæ maledictionis reproborum æquè, ac pœnæ ipsi illatæ. Hoc etiam magis postulat verborum series, & intentio Christi iudicis sententiam illam ferentis, vt ostendimus supra num. 34. & sequent. meritoque Hieronymus in comment. huius loci, dicit benedictionem illam accipiendam esse iuxta præscientiam Dei, apud quem futura iam facta sunt. Quod amplius confirmabitur fact. sequenti, vbi multis sanctorum Patrum auctoritatibus ostendemus bona iustorum opera præuisa fuisse causam, seu rationem, & motiũm specialis eorum dilectionis, & æternæ benedictionis: sicut mala opera reproborum fuerunt causa æterni illorum odij, & maledictionis.

40. Ruis disp. 11. de prædestin.  
Ad alterum Scripturæ testimonium relatum ex Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinavit &c.* Respondet Ruis sect. 1. disp. cit. Primò, præscire, hoc loco idem esse, ac prædestinare, vel certè nomen genericum esse, quod contrahitur, & limitatur nomine prædestinationis, quæ est imperium intellectus, quo Deus præsciuit, quid ipse facturus sit in nobis, vt ad beatitudinem certò perducatur. Itaque præscientiam futurorum operum non fuisse rationem prædestinandi: sed potius opera fuisse obiectum volitum, & causatum per hanc præscientiam, quæ est imperium, & prædestinatio. Secundò, posse etiam verbum *Præscire*, intelligi de scientia approbationis, quæ dilectionem supponit, per quam scientiam in dilectione, & electione Dei cognoscuntur electi. Perinde ac si Paulus diceret, Quos Deus dilexit & voluit, hos prædestinavit. Ita tamen vt hæc approbatio diuinæ voluntatis non modò præscindatur ab approbatione futurorum operum, prout sunt absolute futura; sed etiam ab ordinatione mediorum, quæ necessaria sunt ad obtinendam gloriam. Sensusque sit: Quos Deus præsciuit, eos approbando per absolutam complacentiam, quæ voluit eis dare regnum, hos prædestinavit, & efficaciter ordinavit, vt per virtutes & tolerantiam passionum fierent conformes imaginis Filij sui, qua conformitate mereantur regnare cum primogenito. Tertio, licet verbum *præscire*, intelligendum esset de scientia visionis, quæ Deus futura hominum facta præsciuit, eorum futuritione supposita: non inde posse colligi hanc præscientiam esse rationem prædestinationis. Nam sensus esse potest, Quos Deus præsciuit futuros sanctos, ip-

fos prius prædestinavit vt essent sancti.

Sed his tribus expositionibus oppono primò, longè aliam esse interpretationem Sanctorum Patrum, qui eo loco per *præscire*, intelligunt manifestè scientiam futurorum, vt directiuam prædestinationis, & rationem cur Deus eos potius quàm illos efficaciter elegerit ad gloriam. Vt Ambrosius, lib 5. de fide cap. 3. vbi sic habet: *Quos præsciuit, hos & prædestinavit: quia non ante prædestinavit, quam præsciuit: sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinavit.* Quibus verbis manifestè distinguit præscientiam à prædestinatione, per illamque intelligit, non imperium illud à Ruis assertum, vel scientiam approbationis abstractam ab operibus absolute futuris: aut scientiam visionis quæ sit posterior prædestinatione, vt idem Auctor affirmat: sed præuisionem meritorum, quæ fuerit causa, seu ratio cur Deus illis æternæ vitæ præmia destinaverit absolutà & efficaci voluntate. Similique modo loquuntur & sentiunt alij Patres. Vt Sedulus Augustini contemporaneus, in collectan. in epist. ad Roman. circa illa verba cap. 8. *Quos præsciuit, & prædestinavit: vbi sic ait: Quos præsciuit, & prædestinavit: vbi sic ait: Quos præsciuit, & prædestinavit: ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* Et paulò post: *Aliud est præscire, aliud prædestinare. Præscientia itaque gerenda prænotat: postmodum prædestinatio retribuenda describit.* Illa præcedet meritis: hæc prædestinat præmia.

41. Refutarur secundum  
Opponit secundò expositiones illas minus esse consentaneas verbis præcedentibus & intentioni Apostoli, qui versu 17. eiusdem capitis incipit hortari fideles ad patientiam, à qua velut à conditione necessaria pendere ait, quòd simus futuri hæredes vitæ æternæ. *si autem filij, inquit, & hæredes: hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Itaque gloriam illis proponit, non vt decretam absolute & efficaciter ante præuisa opera, sed suspensam & pendentem à conditione patiendi cum Christo, vt illius gloriæ sint futuri participes. Deinde versu 18. & sequentibus vsque ad 28. ostendit tribulationes, quas iusti patiuntur, leues esse, si cum æterna illa gloria comparentur: cuius spe debeant animari fideles ad illas fortiter & constanter ferendas. Maxime cum, vt addit v. 28. illis nocere non possint, si perseuerent in dilectione Dei. Sed potius in bonum cooperentur; ad consequendam scilicet æternam illam gloriam. *Scimus enim, inquit, quoniam diuinitibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum probatum vocati sunt sanctis* id est, secundum antecedentem voluntatem Deos saluandi, transeuntem de conditionata in absolutam, posita præuisione de sanctorum perseuerantia in dilectione Dei. *Nam quos præsciuit tales futuros, illos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, in gloria, sicut fuerunt conformes in patientia.* Quos autem



tem prædestinavit mediante illa præscientia hos & vocavit, gratiis prævenientibus: Et quos vocavit hos & iustificavit, si consenserunt vocationi, & quia consenserunt. Quos autem iustificavit, illos & gloriificavit, cum Christo, si perseveraverunt in iustitia accepta, & concorditate cum Christo in patientia & vita sanctitate: sicut re ipsa perseveraturos esse præsciuit, & propterea ad consortium gloriæ Christi efficaciter & absolute illos prædestinavit. Ex quibus omnibus concludit versu 31. & sequentibus usque ad finem capituli, non esse timendas temptationes: nihilque eos separare debere à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

42.  
Tertium  
refugium.

Ad aliud testimonium in favorem nostræ sententiæ adductum ex 2. Timoth. 2. v. 21. *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem &c.* Respondet idem auctor sect. 4. disp. cit. Quicumque se emundaverit ab omni peccato, & in ea munditie perseveraverit, fuisse quidem electum ad gloriam. Veruntamen id non ita proferri ab Apostolo, quasi mundities prævisa sit ratio electionis ad gloriam: sed tantum afferri velut indicium à posteriori, & quasi sigillum quo designentur electi, & quo provocentur ad cooperationem electioni divinæ. Quem sensum ait deduci ex præcedentibus verbis Apostoli. Quippe qui dixerat non esse timendum ne omnium fides subvertatur ab hæreticis: quoniam fundamentum Dei firmum stat in electis, ita ut nemo possit illud subvertere. Cuius firmitatis duplex est sigillum. Alterum nobis ignotum, & causans firmitatem nostram, videlicet, *Novit Dominus qui sunt eius*, scientia approbationis & prædestinationis. Alterum nobis saltem probabiliter notum, ad quod nostram cooperationem subiungere tenemur: nempe illud, *Recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Quod idem à his verbis repetitur, *quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem.*

Refutatur.

Sed longè alium esse sensum hosam Pauli verborum, *Cognovit Dominus qui sunt eius*, patebit ex dicendis inferius sect. 7. num. 94. Quod autem aliis in auctoritate hæreticis & aliorum peccatorum se emundet cum Dei gratia, nisi tantum signaculum quo nobis innotescunt probabiliter via in honorem, ut vult auctor cit. debet dicere Apostolus, si quis emundaverit se ab istis, cognoscetis esse vas in honorem: non autem, erit vas in honorem. Cumque non sint causa hinc modum loquendi vsurpet, debeatque in sensu proprio intelligi, quantum fieri potest, iuxta regulam D. August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. omnino significat abstinentiam à peccatis, & exercitium bonorum operum, esse causam cur sint vasa in honorem, & cur ex eorum prævisione eligantur efficaciter ad gloriam. Sicut è contrario immundities peccati, & exercitium malorum

operum, sunt causa cur alij reprobenur, & sint vasa in contumeliam.

Postremo ad illud relatum ex Apoc. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: quò significatur, electionem efficacem ad gloriam pendere à perseverantia, prævisa ut futura: Respondet sect. 4. disp. cit. non ita esse: sed potius quia aliquis prædestinatus est ad coronam, propterea crebrius & fortius incuti ei timorem amittendæ coronæ. Quæ amissio possibilis est absolute: quamvis ex suppositione prædestinationis, in sensu composito, non sit possibilis. Prædestinationem verò, per tales comminationes ac terrores, interioribus auxilijs munitos, operari firmitatem perseverantiæ.*

Sed quàm parùm coherenter id dicatur in sententia adversariorum, & quàm inanes sint eiusmodi comminationes posita electione antecedente absoluta & efficaci ad gloriam, perspicue apparebit ex dicendis sect. 5. num. 57. Cum enim posita & stante illa electione, impossibile sit amitti coronam, ut fatetur adversarius: & illa electio sit antecedens: propterea immutabilitatem decreti divini non posse non stare: Vanum est timere ne eveniat id quod antecederet impossibile est evenire, vi decreti divini absoluti, & efficaci independentis & abstractis ab operibus nostris. Quare prædestinatio non facit ut timor ille fortius incutiatur: sed ut falsò & vanè intenteur, supposita illa sententiâ. Et hæc tenet de Scripturæ testimonijs.

SECTIO IV.

Probatnr eadem sententia ex Patribus, & nominatim ex S. Augustino.

I Am verò, quòd ad Patres attinet, nostræ sententia est còmunis Græcorum Patrum & Latinorum Augustino antiquiorum: à qua nec ipse August. dissentit, ut à Massiliensibus & Episcopis Galliarum malè ipsi obiectum est. D. Ambros. lib. 7. de fide cap. 3. explicans illa Christi verba Matth. 20. *Non est mecum dare vobis, sed quibus patrum est à Patre meo.* Sic tractat: *Non est mecum qui iustitiam servo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit quibus paratum est, ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis. Quia Deus personarum acceptor non est. Unde Apostolus ait: Quos præsciuit, hos & prædestinavit: Quia non aut è prædestinavit, quam præsciret. Sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinavit.* Hæc Ambros. quibus verbis nihil clarius dici potest. Neque minus clarè loquitur S. Epiphanius hæresi 69. explicans eundem locum Marthæi: *Hoc, inquit, vult ostendere, quòd non iuxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate &c. si laboraverit, erit eius preparatum, à Patre meo. Similem*



sententiam D. Chrysof. retulimus num. 33. ubi dicitur sermonem ibi esse de ipsa intentione & preparatione, ac non de sola executione, ut voluit Aduersarij.

45. Hieron. D. Hieronymus in cap. 1. Isaia, explicans illud, si volueritis bona terra comedetis, sic ait: Liberum seruat arbitrium, ut in utramque partem, non ex prauidicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pena vel premium sit. Nota, non ex prauidicio Dei, id est, ex sententia anticipata, antecedente scilicet examini causa. Idem in cap. 1. Malachia explicans illud, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, sic habet: Dilectio, & odium Dei vel ex praescientia nascitur futurorum, vel ex operibus. Alioquin nouimus quid omnia Deus diligit, nec quicquam oderit eorum quae creauit, antecedenter scilicet & a se.

46. Orig. Ambros. Chrysof. Similia dicunt Origen. Ambros. Sedul. & Chrysof. ad cap. 9. Epistola ad Rom. ubi Apostolus eadem verba repetit ex Malachia 1. Jacob dilexi &c. Ambrosij verba haec sunt: Vnum elegit praescientia, alterum spreuit. Et in illo quoniam elegit, propositum Dei manet, Et in illo scilicet quem spreuit, manet propositum Dei de illo, quia indignus erit. Hoc (nempe eligere vnum, & spernere alterum) sicut Deus, quasi praescius, non personarum acceptor. Nam neminem damnat, aut equam peccat: neminem coronat, antequam vincat. Supple, ne quidem in proposito & destinatione efficaci, quandoquidem id facit vt praescius futurorum, sicut paulo ante dixit Chrysofomus vt ibidem sic exponit eundem locum Apost. & Malach. Qui igitur de causa hic quidem amore, ille autem odio habitus erat? Quae de causa hic seruiebat, ille autem imperabat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat: quoniam illis nondum natis, alter quidem honorabatur, alter autem condemnabatur. Aulus enim nati cum non essent, dilexit Deus, Maior seruet minori. Cur igitur hoc dixit Deus? Quia non expectat, quemadmodum homo, a rerum exitu videre quisnam bonus sit, quisnam item non talis: sed etiam antea nouit quisnam malus, & quis non talis. Et Cyrill. Alexandr. in c. 1. Malach. eundem locum exponens, Cum, inquit, tanquam Deus, amborum futuras actiones, & vtriusque mores praenouisset, meliorem & sanctiorem complexus est.

47. Eandem esse sententiam D. August. neque quicquam contrarium scripsisse, licet interdum obscure loquatur, probat Valques disput. 89. cap. 7. & 8. Less. disp. cit. sect. 2. num. 9. & sequentibus. Valent. quaest. 23. p. 4. §. 5. & Peqnot. lib. 6. propugnaculi cap. 22. Loca eius praecipua haec sunt. Libro 1. ad Simplicianum quaest. 2. explicans illud Apostoli ad Rom. 9. Vt secundum electionem propositum Dei maneret, sic ait: Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio &c. Non tamen electio praecedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab eo qui reicitur. Vnde quod

dicitur, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi praescientia, operum scilicet bonorum factorum cum Dei gratia, vel boni status finalis. Haec ibi August. quae nusquam alibi retractauit, vt aliqui respondent: sed potius in vltima aetate confirmauit lib. 2. Retractionum cap. 1. & lib. de praedestin. Sanctorum cap. 4. ubi doctrinam illam commendat, & Massilienses ad eam remittit, Solumque ibi retractat quod fides habeatur sine gratia.

48. Idem serm. 7. de verbis Domini: In hoc capitulo discimus, inquit, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit: Elegit autem sicut dixit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam. Et iterum, relictis illis Apostoli verbis Roman. 4. Reliqui mihi septem millia qui non curu uerum genu ante Baal: Quid est, inquit, reliqui mihi? Ego illos elegi: quia vidi mentes illorum de me praesumentes, non de se, nec de Baal. Quomodo autem illa electio sit secundum gratiam, & secundum iustitiam, exponit idem S. Doctor lib. de gratia & libero arbitrio cap. 6. 8. & 9. & lib. de correptione & gratia cap. 13. nimirum quia bona illa opera, propter quae eligimur efficaciter ad vitam aeternam, non sunt ex nobis, id est, ex tolli natura viribus, vt volebant Pelagiani: sed ex Dei gratia nos praeueniunt & adiuuant.

49. Idem serm. 233. de tempore: Multi scire volunt quare illum vocat Dominus, & illum non vocat, vni subuenit, & vni non. Hunc dignum habet, & illum indignum. Istum honorat, & illum contemnat. Audi, homo, Hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro suis operibus malis. Et lib. 83. quaest. 9. 68. Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Sed haec voluntas Dei iniusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores, cum propter generale peccatum vnam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diuersitas. Praecedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quatuor nati sunt iustificari, digni efficiuntur iustificatione. Et iterum praecedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obdurance. Et post pauca: Parum est velle, nisi Deus misereatur. Sed Deus non miseretur qui se peccat vocat, nisi voluntas praesens. Vbi nota, licet August. loquatur ibi tantum expresse de obdurance & obdurance peccatoris: ratione tamen propter quam recurrit ad differentiam inter eum cuius Deus miseretur, & eum quem obdurat, aequae conuenire praedestinationi & reprobationi, id est, electioni efficaci aliquorum ad gloriam, & exclusioni aliorum. Nimirum quia, haec voluntas Dei iniusta esse non potest: & nimirum in sententia Augustini, iniusta esset, nisi ex parte peccatorum praecederet aliqua differentia in qua fundaretur.

50. Idem Augustinus, aut Prosper ex eius sententia, in responsione ad articulos ipsi falso impositos art. 12. Quia praesciti sunt casuri, non sunt praedestinati. Essent autem praedesti-



nati, si essent reuersi, & in sanclitate, ac virtute mansuri. Et in respons. ad 3. obiect. Gallorum, Quod ergo, inquit, huiusmodi hec prolapsi mala, sine correctione penitentia defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia predestinati non sunt: sed quia tales futuri ex voluntaria prauaricatione presciti sunt. Et denique Auctor hypogost. apud eundem lib. 6. cap. 2. Quicumque antequam sciret, sic prescit, predestinat. Et propterea predestinat, quia quale futurum sit prescit.

Ad haec & similia Patrum testimonia responderi solet primo, Patres tantum asserere aliquam esse electionem consequentem & remuneratorem, factam post prauis merita, quod verum est: sed non negare esse quoque aliam pure gratuitam, ratione priorum, atque antecedentem merita, etiam ut prauis; cuius mentionem faciunt alijs locis iisdem Patres, praecipueque S. Augustinus. Ad quod probandum multa eorum testimonia refert Didacus Ruis tota disput. 10. & 11. de predestinatione.

Ruis.

51.

Refelluntur Quasi-ones.

Sed contra: primo, Patres locis citatis dicunt Deum in preparando, efficaciter scilicet, regno coelorum electis, iustitiam seruasse non gratiam, & non deferre petitionibus, sed meritis, quia non est personarum acceptor: & non ante praedestinasse, quam praesciret; sed quorum merita praesciuit, eorum praeiudicium praedestinavit: ut loquitur Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. Ergo, rejiciunt illam electionem efficacem pure gratuitam antecedentem opera prauis, in qua non seruatur iustitia, sed gratia: neque quicquam defertur meritis, sed ex mera acceptione personarum, quam intelligunt Patres, id est, ex mera & arbitraria praeiudicatione & electione aliorum prae alijs, praedestinantur aliqui ad gloriam, alij negliguntur, aut praedestinantur ad mortem aeternam. Ac denique, si non ante praedestinavit, quam praesciuit, sed quorum merita praesciuit, eos praedestinavit, ut ait Ambrosius. euidenter liquet Patres ita loquentes non aliam praedestinationem agnoscere, nisi eam quae sequitur praescientiam operum, & in ea fundatur.

Ambrosius.

52.

Secundo, sancti Patres dicunt poenam & praedestinationem, non esse ex praedecreto Dei, id est, ex sententia anticipata & antecedente exante causa. Itemque dilectionem & caritatem Dei nasci vel ex praesentia futurorum vel ex operibus: quoniam alioqui Deus omnia diligit, ut loquitur Hieronymus. partim in caput 1. Isaie, partim in caput 1. Malachiae. Quibus verbis aperte rejicit electionem illam gratuitam, absolutam & efficacem, antecedentem praedestinationem operum. Quippe quae data, non esset verum quod absolute dicit Hieronymus, praedestinationem & reprobationem non esse ex Dei praedecreto, id est, ex sententia anticipata sine causae cognitione, pro solo ipsius Dei arbitrio: & dilectionem Dei, specialem scilicet, & efficacem,

ac non communem reprobis, nasci ex operibus, vel ex eorum praesentia.

Tertio, commentarius Pauli tributus Ambrosio, & Origeni, Chrysostomo, Sedulo, Theophylacto, aliisque veteres interpretes capituli noni ad Romanos, aperte rejiciunt eandem electionem antecedentem, absolutam, & efficacem, ut videre est verbis relatis num. 46. Augusti, quoque eandem negat, cum ait verbis ibidem adductis ex lib. 1. ad Simplicianum. q. 2. neminem eligi, ad gloriam scilicet, & efficaciter, nisi iam distantem ab eo qui rejicitur. Ideoque non eligi nisi praesentia, operum scilicet futurorum absolute: Nam Deus non eligit ex praesentia tantum conditionata futurorum, ut contra Pelagianos probat idem S. Doctor pluribus locis, quorum aliqua retulimus disp. 9. num. 50. Item ferm. 7. de verbis Domini, non ponit duas electiones, quarum una sit pure gratuita & antecedens: altera sit consequens, & remuneratoria ex iustitia: sed ait unam & eandem electionem esse secundum gratiam, ratione primae gratiae: & secundum iustitiam, ratione operum quae fiunt ex gratia, ut exponit locis citatis n. 48. & 49. Item eandem electionem efficacem antecedentem & pure gratuitam rejicit verbis supra relatis, ex lib. 83. quaestionum. 68. cum ait Dei voluntatem iniustam esse non posse: ideoque antillam praecedere aliquam differentiam ex parte eorum quos conuertit aut obdurat, praedestinantur aut reprobantur. Quae vero his opponunt aduersarij ex eodem Augustino, alijsque Patribus, diluuntur sect. 8.

Respondent secundo, D. Augustinum retractasse in libro de predestinatione Sanctorum cap. 4. & lib. 1. Retractionum cap. 23. id quod scripserat q. 2. ad Simplicianum, Neminem eligi nisi iam distantem ab eo qui eligitur. Nam capite illo 23. retractat id quod dixerat lib. 1. expositionis propositionum Epistolae ad Romanos, cap. 6. electionem non posse esse inter aequales. & cap. 4. libri de predestinatione Sanctorum concedit electionem gratiae inter homines aequae distantes a gratia. Ergo retractat propositionem relata ex quaest. 2. ad Simplicianum. quae eadem est cum ista, Electionem non posse esse inter aequales: quaeque contradictorie opponitur isti, Electio gratiae fit inter homines aequae distantes a gratia. Adde quod alioqui Deus eligeret ad primam gratiam ex operibus bonis naturalibus; quod est Pelagianum. Ita Didacus Ruis disp. 10. sect. 4. Caetera vero quae responderet alijs locis Augustini tota sect. 5. leuiora sunt.

Responderet duplicem esse electionem efficacem & absolutam, secundum mentem D. Augustini, & secundum rei veritatem. Vna est ad primam gratiam, id est, ad primam vocationem: & ista pure gratuita est. Neque enim fit ex operibus bonis, factis solis naturae viribus, adeoque illorum differentiam non praesupponit: neque ex operibus gratiae conditionatae futuris & praesentibus, quasi non deus nisi illis, quos Deus



prædit bene illa vsuros si detur, vt contra Pelagianos docent sapius S. August. alique Patres. Altera est electio absoluta & efficax ad iustificationem, vel ad gloriam, & hæc non fit nisi ex præuisione consensus dati vocationi, aliorumque bonorum operum, in adultis: vel vsus mediorum, id est, sacramentorum in paruulis. Prior fit inter æquales; imò interdum vocatur magis indigni: & de illa dictum est 1. Cor. 4. vers. 7. *Quis enim te discernit?* de eademque loquitur S. August. locis citatis ex 1. Retractionum cap. 23. & cap. 4. de Prædestinat. Sanctorum potiusque ibi retractat quòd fides habeatur sine Dei gratia. Posterior non fit nisi inter inæquales, & distantes inter se per consensum datum vocationi, & alia bona opera facta cum Dei gratia, vel per vsus sacramentorum. Et de illa loquitur S. August. qu. 2. ad Simplician. quem locum si aliter intellexisset, non absolute commendasset doctrinam ibi traditam, neque ad illam Massilienses aduersarios suos remisisset, vt fecit capite illo 4. de prædestinatione sanctorum & lib. 2. Retractat. cap.

SECTIO V.

*Idem probatur rationibus Theologicis.*

56

AD eiusdem veritatis confirmationem valent multæ rationes graues, ex Scriptura & fidei dogmatibus petitæ. Quas antequam propono, moneo illas directè afferri contra tertiam sententiam ex quatuor sectione 2. relatis: quæ euerfa, corrumpunt alia duæ priores multò magis: quippe quæ magis aduersantur sincero Dei amori & desiderio salutis omnium, bonitati diuinæ, & suauitatis eius præuidentia, studio propriæ salutis, zelo animarum, & aliis rationum istarum fundamentis.

Ac primo generatim negari non potest, quin sententia nostra sit suauior, & rationi naturali conformior: idè què iure contraria præponenda, nisi Scripturæ, vel Ecclesiæ, vel Patrum autoritas certa, vel quid aliud grauis momenti repugnet. At nihil tale est, vt in sequentibus sectionibus ex solutione argumentorum apparebit.

sententia contraria non est conformis generalibus Dei præuisionibus.

Secundò, electio quam præcedunt aduersarij, minus bene conuenit cum generalibus Dei præuisionibus, quæ non modò semper habent conditionem adiunctam virtualiter, aut expressè, vt notauimus supra ex Trident. sess. 6. can. 20. verùm etiam comminatoria sunt: nam Deus sæpe præuisionibus adiungit comminationem excidendi à vita æterna, & incurrendi damnationem, nisi seruentur mandata, & conditiones ab eo præscriptæ. Ex quo promittendi modo sumitur duplex argumentum contra aduersarios. Primum est, quòd de illis præuisionibus diuini philosophandum est, vt de humanis, se-

motis imperfectionibus. Atqui in humanis, quando promissio fit tantum conditionatè, dabo, si feceris, & non dabo, si non feceris: colligimus promissorem non habere aliam dandi voluntatem efficacem, quam conditionatam ante opus exhibitum, aut eius præuisionem infallibilem. Ergo de Deo idè sentiendum est. Secundum argumentum est, quia comminationes ad Deum Dei præuisionibus debent esse efficaces in sensu vero, qui solus à Deo intenditur, solusque sub fidem cadit. Atqui si facta est electio antecedens, absoluta, & efficax ante præuisionem operum, comminationes illæ non erant efficaces in sensu vero, sed vanæ: nam posita illa electione antecedenti, est antecedenter impossibile, vt non saluetur sic electi. Est autem vanum timere ne contingat, id quod supponitur antecedenter non posse euenire. Et æquè vanum est minari fore aliquid, quod impossibile est fore. Similiterque parum momenti haberent ad excitandum spem promissiones diuinæ respectu aliorum non electorum, si omnia antecedentia sunt ita disposita per prouidentiam diuinam, vt nullus illorum salutem consequi possit. Quod in sententia aduersariorum dicendum est. Confirmatur: quia, vt recitauit Less. disputat. de prædest. sect. 5. ration. 7. Posita tali electione, & reprobatione, conditio, si perseueraueris, idem valet ex parte rei, ac si dicas, si Deus ex se prædefiniuit vt perseueres. Et conditio, si non perseueraueris, idem valet ex parte rei, ac, si Deus non prædefiniuit vt non perseuerantiam. Cum enim conditio pendet à proximate, vt causa, vel sola, vel absolute prædominante, ex qua reliquum infallibiliter sequitur, rectissime in illis arbitrium totum negotium resoluitur: & conditio idem in re valet, atque ipsius beneplacitum. Quare hæc inter se conuerti debent in sententia aduersariorum, Perseuerare re ipsa, Deum prædefiniuisse vt perseueres, & hæc prædefinitio est causa perseuerantia. Itemque, non perseuerare re ipsa, & Deum noluisse aut non voluisse decernere perseuerantiam: vbi etiam nolitio, aut nõ volitio est causa sine qua non defectus in perseuerando. Itaque quædò Deus promittit salutem vitam æternam sub conditione, si perseuerent. Perinde facit, ac si diceret: Promitto vobis vitam æternam, si ego ex meo beneplacito perseuerantiam vobis decreui. Et quando mittitur gehennam non perseuerantibus, perinde agit, ac si diceret: si ego vobis nolui decernere perseuerantiam, detur habo in gehennam. Atqui nemo sic intelligit illas propositiones conditionatas; nec, nisi ineptè, sic intelligi possunt: neque modò diuinam bonitatem non decem, quia illusoria potius, quàm seriæ; verùm etiam studium pietatis, & bonorum operum elidunt, hominumque mentibus desperationem iniiciunt.

Tertiò, ex modò electionis, quem Suarez & alij assertores tertie sententia prætendunt, sequitur reprobos antecedenter non

58. Ex contraria sententia



sequitur  
Deum an-  
tecedent  
excludere  
reprobos  
positiue  
implite.

solum negatiue, sed etiam positiue exclusos fuisse, saltem implicite & æquiualeuter, ante præuisa opera, & statum finalem iniustitiæ: quod tamen illi nolunt admittere, neque possunt, nisi velint incidere in errorem Caluini, de quo diximus sect. 2. Hoc autem sequi probatur, quia licet aduersarii nolint Deum per volitionem antecedentem saluandi electos, vel formaliter saluare illos solos, quasi particula, *solos*, prout dicit exclusionem reproborum, sit objectum talis actus, sed tantum velint actum Dei ferri in illos solos præcisè à reprobis, abstractione præcisua, non exclusiua: nihilominus talis actus idem statum virtualiter & æquiualeuter, ac si positiue excluderet. Qui enim vult absolute & efficaciter totum aliquod ex multis partibus, & talibus, in indiuiduo cognitis, per modum aggregati perfecti, & cum proportionem partium ad inuicem in numero, gradibus, & aliis determinationibus: hoc ipso excludit omnes alias partes, etiam possibiles: quia alioqui rueret proportio intenta in indiuiduo, & hoc ipso omnes alias excluduntur efficaciter & infallibiliter, si electio illa & determinatio est infallibilis. Atqui Deus ita se habet, per aduersarios, vt regnum cælestis vel totum quoddam intendat efficaciter & absolute, antecedenti illa electione, determinatum quoad personas in numero, qualitate, gradu gloriæ, & aliis circumstantiis: & vt eorum exemplis, ita se habet vt architectus qui palatium certæ molis ex sufficientibus lapidibus in indiuiduo, & quantitate, & qualitate destinatis cogitaret. Vel vt conuiuia, qui conuiuium ex certo numero personarum in indiuiduo destinatum. Qui sane hoc ipso omnes alias excludit, quamuis exterius inuitet, vt veniant. Quæ inuitatio, si velit suum decretum firmum manere, non potest esse nisi simulatoria. Nam si sciret venturos quos inuitat, non inuitaret. Deus autem vult suam primam electionem non infringere, sed firmam remanere: nec contraire vult in secundo instanti rationis, decreto illi & electioni, quam habuit in primo, vt fatentur aduersarii. Vnde etiam dicunt Deum vi huius electionis certum esse infallibiliter de numero prædestinatorum, & omnem reliquorum saluatum iri. Quare vi huius decreti ceteri virtualiter & æquiualeuter exclusi sunt. Consequentia patet: quia quilibet numerus certus & determinatus non minus excludit omnes illas vnitates ex quibus non constat, quam excludit omnes illas ex quibus constat. Item quia si decretum illud non haberet vim exclusionis, non posset Deus ex illo decreto habere certitudinem infallibilem, quod nullus alius, præter istos electos, saluandus sit. Ex illa etiam ita determinata electione fit, vt circa omnes alios debeat velle Deus se habere negatiue, & non dare illis gratiam congruam, neque prædefinire illis perseuerantiam, vt rectè ostendit Lessius in disp. de prædestinat. sect. 2. §. *Probatio quarta*. Parum autem nostra interest siue formaliter

& positiue exclusi sumus à gloriâ Dei voluntate antecedenti: siue negatiue, sed æquiualeuter. Quandoquidem idem omnino effectus dampnationis sequitur infallibiliter ex Dei voluntate antecedente, & merito ipsius præiudicio. Ac si Deus positiue reprobos exclusisset antequam ederet, non alio modo circa illos se gereret, vt damnarentur salua propria libertate, quam nunc se gerit circa illos, iuxta sententiam aduersariorum.

Quartò, sequeretur Deum non habere sinceram voluntatem saluandi reprobos, sed simulatoriam. Consequens est falsum propter illud 1. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*, & alia quæ addemus disputatione sequenti sect. 2. Sequela verò probatur in hunc modum. Qui de industria querit omnes gratias finales, & omnia antecedentia finalem statum, incongrua ad finalem iustitiam, imò infallibiliter allatura finalem iniustitiam; habet ad summum simulatoriam voluntatem salutis. Atqui Deus circa reprobos ita se gerit secundum aduersarios: ergo &c. Maior est clara. Quid enim est insidiam hominum salutis, si hoc non est? Minor probatur nam per aduersarios Deus ante præuisionem operum, vel status finalis, elegit absolute & efficaciter quotquot ad gloriam perducendi sunt, in indiuiduo, & in gradu gloriæ: per modum vnus ciuitatis aut reipublicæ cælestis, ex illis solis constituendæ in tali numero & gradu. Aut per modum vnus ædificij ex his lapidibus vnus ædificandi tali symmetria & perfectione. Ita vt omnes illi sint eò perducendi infallibiliter, & præter illos omnino nullus alius. Vnde consequens est vt Deus in posteriore signo rationis, ne prius decretum infringat, electis media congrua feligat, per quæ infallibiliter ad locum & gradum illum absolute & efficaciter destinatum perueniant: talis incongrua, ne quis eorum in regnum & ciuitatem illam irrepit. Alioquin enim non minus decretum infringeret, si aliquis neglectorum irreperet, quam si aliquis electorum deesset.

Neque dici potest Deum propterea non feligere de industria media incongrua reprobis seu neglectis, sed dare prout occasio fert, qualemcumque cursus eorum & opportunitas circumstantiarum postulat, aut cæco quodam modo, non attendendo siue congrua an incongrua. Eni uero si ita est, incredibile plane videtur, quod nemo prorsus ex tanta multitudinis reprobatorum negatiue, gratiam congruam sortiatur, & saluetur: & contra, nullus ex tanta multitudine electorum sortiatur incongruam, & damnetur. Pingantur enim duæ hominum multitudines ingentes hinc inde stantes, & aliquis in medio vtriusque exurgenti arca, nummis argenteis partim bonis, partim adulterinis plena, his & illis omnibus nummos distribuere: fieri ne potest quin aliquibus ex vtraque multitudine obtingant boni, & aliquibus falsi & adulterini, nisi de industria vni multitudinis omnes bonos feligat, alteri omnes adulterinos?



Sic ergo Deus &c. Omnino negari non potest quin Deus tali agendi modo coniecerit se in periculum evidens infringendi primum decretum absolutum & efficax de regno Beatorum constituto in tali statu determinato ex tot personis, & talibus, & in tali gradu gloria, ut dicunt aduersarij. Quemadmodum qui caeco modo nummos illos distribueret, conieceret se in periculum evidens distribuendi vtrinque bonos & malos. Imò re ipsa distribueret. Nam aliud mirabiliter fortuitum, & incredibile, ac moraliter impossibile est, in tanto numero gratiarum, & hominum aut Angelorum, electorum aut reproborum.

Neque dicas potuisse euenire id quod re ipsa euenit. Atqui re ipsa sic euenit, ut omnibus reprobis obtigerint media finaliter incongrua. Respondeo enim, necessarium quidem moraliter euenturum fuisse, ut ex tanta hominum multitudine, pene innumerabili, aliqui mediis bene vterentur pro sua libertate: alij verò abuterentur, aut non vterentur. Sed quòd certò & infallibiliter tales futuri fuerint illi soli, & omnes, designati ante electionem mediorem & prauisionem euentus, est moraliter impossibile, nisi arte & consilio certo Deus illam differentiam quaesiverit, & negotium direxerit. Quemadmodum licet quis ludendo talis, aliquando iaciat vteremur: moraliter tamen impossibile est ut sapius ludendo, iaciat vteremur certò & infallibiliter quoriscunque voluerit, nisi arte & industria humana dirigente id faciat. Ratio est quia in tanta multitudine idem semper aut omnibus contingere non potest certò & infallibiliter, nisi vel naturali necessitate eueniat, aut ex directione alicuius causae liberae sic disponentis arte & consilio certo & infallibili. Quòd autem tam multis, id est, solis & omnibus antecedenter neglectis, obuenerint media incongrua, non fuit ex naturali rerum necessitate: Ergo debuit esse ex libera Dei directione & industria.

Adde quòd, cum homines, tam praedestinati, quam reprobi, moriantur passim vi causarum naturalium, & vtrique sint promiscue in gratia dum uiuunt: & causae naturales de se non sint fauorabiliores vnus, quam alius: incredibile est quòd ordo naturae caecus, ordini gratiae in executione praesuppositus, nesciens Dei electionem, tollat à vita solos libere à Deo electos, quando sunt in gradu gratiae praefinito à Deo: alios specialiter praestolatur donec excederint: quasi verò diuinet praecise numerum reproborum. Ergo est opus speciali dirigente ex intentione, vbi tanta consensio & certitudo, quae cum non sit ex naturali rerum ipsarum necessitate, debet fieri ex alicuius causae cognoscentis & liberae directione, atque consilio. Quare ut illi, nempe omnes electi antecedenter citra futuri prauiisionem, moriantur in gratia: & alij, nempe reprobi, malè moriantur, Deo procurandum est. Quod ea

quarere statum finalem incongruum, & cum sincera voluntate saluandi omnes stare nequit.

Denique negare non possunt aduersarij, quin Deus eligens absolute & efficaciter, ut ipsi voluit, se habuerit ut architectus absolute & efficaciter designans certos lapides ad aedificium quod fabricandum mente concepit. Ut Rex nuptias aut conuiuium instituens, & ad illud certas personas, quibus solis constabit, seligens absolute & efficaciter. Ut Agonotheta centum praemia proponens, & centum selectis iuuenibus decernens, eosque iuuenis certis medijs quibus re ipsa consecuturi sunt infallibiliter. Quis autem dixerit architectum illum, regem, aut agonothetam, habere verum desiderium admittendi suos ad aedificium, ad conuiuium, vel ad praemium referendum, quidquid exterius agat aut simulet? Ibi enim non est verum desiderium effectus, vbi si effectus fieret, euerteretur prior designatio & intentio certa, absoluta, & efficax. Atqui si aliquis non sic electus fieret saluus, euerteretur electio ante à Deo facta, absoluta, & efficax: Ergo &c.

Dices, Deum serio velle salutem eius, quem scit damnatum iri; & serio vocare, quem scit non consensurum: neque tamen propterea vult quidquam fieri contra suam praescientiam: Ergo similiter potest velle saluare, & serio vocare non electos: neque propterea vult fieri quicquam contra suam electionem & praedestinationem.

Respondeo cum Lessio sect. citata ratione secunda, posteriorem partem antecedentis non esse veram. Deus enim reuera cupit aliquid fieri, quòd si fiat, sequetur in ipso non fuisse illam praescientiam. Vellet enim non esse obiectum illius praescientiae: quòd si non esset, praescientia illius non esset: ac proinde vellet non esse illam praescientiam. Et hoc illius vellet habere oppositam: sicut vellet euentum esse contra rium.

SECTIO VI.

Confirmatur eadem veritas pluribus alijs rationibus.

Superioribus adde sententiam aduersarij, Scrum habere in omnia maxima, Diuinam enim iustitiam, bonitatem & misericordiam, quam se amplificat & praetendit, deicit. Iustitiam: quia non erit tanta causa exprobrandi reprobis, quibus quaesierit Deus gratias finales incongruas, cum despectio se antecedenti. Essetque reprobis iustior excusatio, qui de alijs sic dicerent. Quid mirum si isti benefecerunt, & perseverauerunt: cum illos Deus absoluta voluntate antecedenter ad gloriam efficaciterque selegerit, atque ad illa omnia bona opera, & ad perseverantiam: nobis gratias incongruas quaesierit, & vtroque ante prauiisionem ad quandam

Deberent cause naturales diuinae Dei decretum iuxta aduersarios.

63. Confirmatur à simili.

64.

65.

Antecia contrarietas eorum conuenit Dei iustitiae.



necessitatem euentus adegerit. Quoad bonitatem: licet aduersarii illam commendent & extollant erga prædestinatos: magis tamen amplificatur, si Deus omnes sincerè dilexerit. Et grauis illi iniuriæ fit, cum dicitur quæsiuisse Deum de industria gratias incongruas reprobis, quod aduersarii vitare non possunt.

66.  
Prædestinatio, qualem ponunt Aduersarii, non congruit Deo bonitati.

Item non est consentaneum diuinæ bonitati quod tam pauci saluentur præ multitudine damnatorum, sicutque tam pauca bona opera, & plurimè tam remissa & languida, de quibus Deus non semel conqueritur in Scriptura: & tamen Deus antecederet prædestinauerit absolutè & efficaciter saluare eos omnes qui saluantur: similiterque prædestinauerit omnia bona opera, quæ ipsa fiunt, & eo numero ac mensura, quæ fiunt. Circa reliquos verò qui non saluantur, & circa bona opera quæ non fiunt, habuerit se negatiuè, ita tamen vt ex illo se habendi modo antecedenti, sequatur infallibiliter omnium illorum damnatio, & non-executio omnium bonorum operum quæ non fuerunt à Deo prædestinata. Nam si Deus antecederet ita se habuit circa electos, eorumque bona opera, per quæ saluantur in executione: & circa reprobos ac bona opera, quorum defectu damnatur: verum est dicere, Deum esse causam solam prædominantem toti negotio salutis & damnationis, & determinantem rerum euentus, ac veluti primum motum efficacem, cuius motum cætera sequantur tam neuitabili necessitate, quæ est infallibile decretum Dei absolutum, & efficax non carere effectu. Omnia, inquit, quæ deinde sequuntur, ei subiaceant & seruiant necessario: sicutque vel damnatio nostra non pendeat ab illis, ac ne quidem à nostra libertate, nisi vt à ministris diuinæ prædestinationis antecedentis & efficacis, quæ supposita, non potest in sensu composito euenire aliud, nisi in quod prædestinatum est. Quomodo ergo Deus, infinite bonus, & sanctissimus iustus hominum, vt sapius testatur Scriptura, tam paucos elegerit, alios verò longè plurimos neglexit; & antecedenti necessitate inuitabili illos ad gloriam, istos ad damnationem adiegit? Quomodo conqueritur tam paucos saluari, & tam pauca bona opera, tamque remissa fieri, si ipsemet ita prædestinauerit antecederet & efficaciter, & nihil aliud in hoc negotio fieri potest, quàm quod ipse prædestinauerit, ac denique si ipse sollicitè procurat per media congrua vel incongrua, vt non aliter fiat, tamquæ vult non aliud fieri, quàm vult suum decretum antecedens & efficax manere firmum & inuiolatum?

67.  
Dices, non esse alienum à Dei bonitate quod iustis de causis de se ipsa plurimis media, quæ prædestinatio non esse profutura, vt in omni sententia sciendum est: ex quo sequitur damnatio eorum omnium qui de facto damnantur. Ergo nequæ est contra Dei bonitatem prædestinatio supra dicta, ex qua non sequitur alius euentus, neque magis perni-

ciosus reprobis, quàm ille qui nunc est in quacunque sententia.

Respondeo, non esse alienum à Dei bonitate, quod cum antecederet omnes sincerè saluare voluerit, & vt mediis de se efficacibus & conuenientibus, à se datis ad illum finem, ex vero & sincero desiderio vt omnibus prædesent, permiserit tamen euentum libertatis creaturarum, vt vitantur vel non vitantur prout voluerint: ex quo vsu vel non vsu sequatur quod aliqui saluentur, & alij damnentur. Neque præsciens abusus per scientiam, conditionatam debuit propterea ab illis decernendis abstinere; & eligere alia, quæ per eandem scientiam videbat esse profutura, si eligerentur. Nam Deus non tenetur perducere infallibiliter ad salutem homines quacunque viâ possibili. Multum est quod tanta maiestas nos ad sui fructuonem, & eiusdem felicitatis ac gloriæ participationem inuitet, & inuet mediis de se efficacibus, & valde conuenientibus, quæque infallibiliter finem assequerentur, nisi hominum malitia vel negligentia ea frustraret effectum. Alius autem prouidentia modus, perducendi scilicet infallibiliter quoscuque ad salutem, si solus Dei bonitatem deceret, neque possibilis esset alius, supposito quod Deus habeat desiderium saluandi omnes homines, quem admodum habere testatur Apostolus 1. Tim. 2. Ille, inquam, modus prouidentia, nobis notus per consequentiam, cauisset in hominibus negligentiam salutis, & peccandi licentiam. Sibi enim persuaferent homines se tandem saluos fore, quidquid agerent: quia non desunt omnipotentia Dei media, quæ si adhibeantur, consentient finaliter & salui erunt. Et Deum circa ipsos vsurum esse illis mediis sibi notis per scientiam conditionatam: quia non potest eligere alia media illis quæquam salutem sincerè desiderat. Atqui desiderat salutem omnium hominum, vt loco proxime citato, aliisque pluribus reuelauit.

Et quamuis admiratione dignum sit, quod Deus præsciens in rerum serie, quæ ab initio mundi præditur executioni, media salutis tam paucis esse profutura, longèque plurimos abusus, aut non vsuros; Nam tamen elegerit, & non possit alias æquè facile eligere: Possitque merito hic applicari illud Apostoli Roman. 11. *Qualitudo diuitiarum sapientia & scientia Dei, quæ incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius* 1. & Psalm. 35. vers. 7. *Iudicia tua abyssus multæ*: non debuit tamen Deus, propter præuisionem hominum malitiam, abstinere ab ordine de se conuenienti & efficaci: neque contra suam bonitatem fecit, si non abstinuit ab electione mediorum per se valde utilium & efficacium, & ab ordine rerum per se bono; relinquendo tamen creaturas libero suo consilio, quarum malitia vel negligentia, non autem ex Dei præ-



69. finitione ac præiudicio antecedenti, factum est ut pereant quotquot pereunt, tales determinate, & tanto numero; Deo non id intendente villo modo expressa, aut virtualiter & æquivalenter; ob prædefinitionem numeri electorum; neque viente scientia conditionata ut illis media incongrua seligeret; sed sincerè salutem illis desiderante, & in media intendente, ut per se bona & efficacia, perindeque se habente in illorum electione præ infinitis aliis, ac si scientiam conditionatam non habuisset eius quod euenturum erat, si hæc media & talem seriem rerum eligeret, id est, non minus electuro quamuis euentum illum non præuidisset, sed illius oppositum.

Itaque Deus sic eligendo non est causa prædominans, & certò determinans antecedenter de euentu salutis & damnationis omnium hominum & Angelorum: sicut est in sententia Aduersariorum: quatenus iuxta illam; Deus non modò præscit conditionatè quæ futura sunt (quæ sola præscientia non potest esse causa ut fiant) sed antecedenter vult ut sint futura: & per media congrua vel incongrua, quæ sita de industria, procurat ut infallibiliter, quæuiant. Quæ voluntas Dei sic statuentis ante præuisionem operum à nobis non pender. Neque enim potuit à nobis impediri, ne Deus sic aliquos eligeret antecedenter & efficaciter: nos autem negligeret, & negatiuè saltem reproberet antecedenti illa voluntate. Ideoque ipsa est verè causa prædominans suo mero beneplacito, & est author totius operis eius illa infallibiliter secuturi, ministrantibus illi infallibiliter aliis causis. Atque adeò Dei voluntas in illa sententia est verè causa, ut tam pauci saluentur, fiantque tam pauca, tamque remissa bona opera: statuens, virtualiter saltem & æquivalenter, ut ita fiat: vtensque scientia conditionata ad procurandum ut ita eueniat. Contra verò, in nostra sententia libertas creaturæ dominatur quodammodo in hoc negotio: & præit diuinæ cognitioni, tam conditionata, quam absoluta: quatenus ratio cur Deus sciat nos ita liberè operaturos, est quia scimus ita liberè operaturi, estque ratione prius nos liberè sic operaturos esse: quam Deum id præscire. Quod autem sumus liberè ita operaturi, non est ex Dei prædefinitione antecedenti & infallibili: sed ex nostro beneplacito: ita ut pendeat omnino à manu nostri consilij sic operari: adeoque Dei præscientia pendeat quodammodo à nostra libertate, & illam rationis ordine subsequatur. Quare in nostra sententia, non Dei voluntas, de se intendens salutem hominum & ad illam promouens per media idonea, sed voluntas creaturarum, est causa cur tam multi damnentur, fiantque tam pauca & tam remissa bona opera, contra Dei intentionem antecedentem & verum desiderium, quo voluit omnes saluari, pluraque bona opera & præstantia fieri.

Præterea hæc sententia non parum obest bonis moribus. Qui enim credit Deum velle absolute antecedenter & efficaciter saluare omnes quotquot saluantur: perireque infallibiliter quicquid; non fuerunt sic electi: poterit facile in hunc modum ratiocinari: Vel sum inclusus in eorum numero, quos Deus antecedenter efficaciterque selegit, vel non sum? Si primum: saluabor infallibiliter, neque ut subsum tali decreto antecedenti, damnari possum. Si secundum: damnabor infallibiliter: neque possum non damnari supposita tali reprobatione. Neque est quod sim sollicitus de bonis operibus, aut de perseverantia. Hæc enim vel sunt mihi decreta absolute & efficaciter ante præuisionem, vel non. Si primum: erum infallibiliter. Nã Deus non permittit frustrari suum decretum absolute & efficax, sed fiet omnino id quod decreuit: & si est opus, ipse me impellet efficaciter & urgebit ad præstandum quicquid ex parte mea necessarium est. Quid igitur est opus ut ipse me urgeam, & prouocem ad sollicitudinem? Si verò non sum de illo numero electorum, quibus Deus definiuit antecedenter bona opera & perseverantiam: non poterit mea sollicitudo efficere ut hæc assequar, & in numerum illum admittar; sed certissime & infallibiliter certum est ut finaliter peream. Pereunt enim certissime, & infallibiliter quotquot non fuerunt sic electi.

Dices, idem argumentum fieri posse contra Dei præscientiam. Vel enim præscit me saluum fore, vel non &c. Respondeo magnam differentiam esse. Nam à mea libera voluntate pendet ut Deus præsciat me bene aut malè acturum, & me saluum fore aut non. Quia non præsciuit nisi facerem: & ideo præscit ab æterno, quia facio in tempore. At verò non pender à mea libera voluntate, sed ex mero Dei beneplacito antecedenti, quod Deus me elegerit & saluare decreuerit efficaciter, & infallibiliter: vel è contrario, me reiecit, & negatiuè reprobauerit: ita tamen ut damnatio sequatur infallibiliter post illa reprobatione, quæ à me non pependit.

Dices secundò, adhuc fore locum amoris Dei & virtutis gratuito. Respondeo fore quidem, sed paucos eo solo inueniri. Quare plurimis oberit hæc sententia. Sed & illis nocet qui mouentur amore gratuito, cum subtrahat illis motiuum aliud efficacissimum. Vnde et ut sine scandalo & offensione non possit hæc sententia communitè & vulgò proponi.

Plurimum quoque officit animarum zelo. Nam si verum est, omnes quotquot saluantur, fuisse efficaciter & absolute ante præuisionem futurorum operum electos & prædestinatos. Sequitur fore ut saluentur infallibiliter: siue ego me prouocem ad sollicitudinem de illorum salute, siue non. Non enim potest decretum Dei absolute & efficax frustrari effectu: Neque meâ negligentia vel incuria contrarium eueniet. Neque dicas

70.  
Contraria sententia officit bonis moribus.

71.  
Officit etiã animarum zelo.



Deum prædestinasse uti opera & zelo meo in aliquibus saluandis. Nam si ita est, Deus efficaciter & infallibiliter eum procurabit: neque de illo magis sollicitus esse debeo, quam de eorum salute. Verumque enim tam est infallibile, quam Dei decretum absolutum, & efficax. Neque illa solum consideratio zelum animarum accendit in viris sanctis & Apostolicis, sed & præcipue qui sibi persuadent fore ut aliqui non saluentur, si sua opera illis desint, utque saluentur aliqui sua opera, qui sine illa damnarentur: adeo ut eorum salus vel damnatio pendeat simpliciter à sua libera cooperatione. Quod non est verum in sententia prædestinantium antecedenter, efficaciter, & infallibiliter. Nam in illa sententia, si desisset istorum zelus, Deus alia media efficaciam adhiberet per quam salus illorum infallibiliter obtineretur: & independenter ab istorum zelo salus infallibiliter illis decreta est ratione prius, quam zelus ille à Deo eligeretur, & prouideretur ut futurus.

Rursus illa sententia naturæ eorum qui eliguntur est minus consentanea. Nam si creaturæ rationales liberè sunt ad finem aliquem perducendæ: magis consentaneum est, & expectetur liber earum consensus, quam ut prius determinatè destinentur ad eum finem, & tunc ad eundem perducantur quocunque modo. Cum enim semper libertas operetur contingenter; non est secundum conditionem eius ut prius ad finem omnino determinatè destinetur, ad quem liberè perducenda sit. Est verò secundum eas conditionem ut ei finis expectatur, & ad talem finem media idonea procurantur. Et hoc verum est de creatoris quæ liberè per media pendentia ab ipsarum libertate sunt peruenturæ ad finem. Est quoque eorum de creaturis quæ per media pendentia à libertate aliarum creaturarum sunt peruenturæ ad finem, si peruenturæ sunt in quo ordine sunt paruuli, quibus ut applicantur media ad salutem necessaria, pender ab aliena libertate. Conueniens ergo fuit, ut Deus expecteret quidem vero desiderio finem beatum omnibus creaturis rationalibus, & pararet media idonea, sed tamen expectaret euentum liberum: nec adigeretur ad necessitatem quasi cogendi moraliter ad bene agendum creaturæ, quas elegisset ante præuisionem operum: multoque minus ad procurandum ut à iustitia repellerentur, aut exciderent illi quos non elegerat, aut reprobareret, citra huiusmodi præuisionem.

73. Denique Deus voluit Adæ, & posteris omnibus, iustitiam & gloriam. Item quantum est de se, voluit illis sincerè perseuerantiam in iustitia. Ergo prius ratione quam vellet in Adamo inchoare efficaciter seriem mediorum ad gloriam, non habuit decretum absolutum quod impugnamus. Antecedens probabitur disput. sequenti. Sequela evidens est, admissa suppositione plus quam probabilis, quod scilicet Adamo non peccante, & ta-

men perseuerante generatione hominum cum propagatione iustitiæ originalis; non fuisset futurus in eo innocentie statum idem exitus quoad finalem iustitiam, & consequenter quoad gloriam, in eodem etiam gradu, qui iam est in prædestinatis: & consequenter, quod non fuisset futura executio decreti, quod impugnamus. Sequela ergo sic probatur: Deus non potest velle sincerè oppositum eius, quod iam absolutè constituit, etiam solus, antecedenter & totaliter. Ergo si perseuerantia Adæ in iustitia erat impeditura, Deo etiam sciente, executionem absoluti illius decreti; non potuit Deus sincerè eam velle. Imò quia hoc ipso quod aliquis vult efficaciter & absolutè finem, vult implicite media necessaria: Deus per decretum illud antecedens voluisset implicite nõ. perseuerantiam & casum Adæ, si per sententiam mediam præuidebatur ut impeditura decretum, quemadmodum suppono. Quæ supposito ex eo confirmari potest, quod profus incredibile sit omnes eosdem, & ad eundem gradum gloriæ venturos fuisset, in statu innocentie: etiam infantes post baptismum, aut circumcisionem, extinctos; qui cerè non sic extincti fuissent, sed longissimum tempus merendi habuissent. Incrediblem est, non plures in eo statu salutem fuisset consecuturos, quàm qui re ipsa nunc consequuntur. Adde quod iam saluentur multi nati ex adulterio, incestu, sacræ regio, qui non fuissent nascituri similibus de causis. His verò causis deficientibus, alias fuguras fuisset eorundem omnino hominum, etiam quoad corpus à parentibus acceptum (nam prædestinantur homines, & non anime solæ) quam est perperam & incredibile!

## APPENDIX.

## De prædefinitionibus.

NEQUE minus perplexum est & incredibile quod Aduersarij affirmant, Deum prædestinasse ante præuisionem futurorum posita tantum scientia conditionum, aut etiam citra illam, ut Thomistæ volunt, non modò personas & gradus gloriæ; sed etiam omnia bona opera quæ sunt ab electis, cum omnibus suis conditionibus, intentionibus, durationibus, & aliis circumstantiis. Contra quod potest instari multipliciter.

Primo enim, superuacanea est talis bonorum omnium operum in particulari prædefinitione absoluta: cum pleraque facillima fieri, & facillimè suscipi tali prædefinitione fieri possint. Secundo, talis prædefinitio antecedens, absoluta & efficax, est impossibilis circa plurima & maxima Christi, Sanctorumque opera, quæ peccatum supponunt: ut tolerantia Christi & patientia, circa crucifixionem blasphemias, irrisiones, contemptum, odium, opprobria. Patientia Martyrum circa similes actus Tyrannorum

72.

Eadem sententia est minus consentanea libertati electorum.

73.

Deus non voluit sincerè perseuerantiam Adæ iuxta doctrinam Aduersariorum.



& occisorum. Actus poenitentiae de propriis peccatis, & compassio circa aliorum peccata. Est enim impossibile Deum velle antecedenter absolute & efficaciter aliquid supponens peccatum tanquam medium necessarium ut sit. Alioquin Deus vellet peccatum, quia quisquis vult finem antecedenter, absolute & efficaciter, vult omne medium necessarium aliunde non praesuppositum. Et tamen aliqui praedestinati videntur non habuisse aliud meritum efficacis suae salutis, nisi Martyrum patientiam in ferendis opprobriis & tormentis iniuste illatis, quorum exemplo permoti fidem statim amplexi sunt, & pro illa repente occisi.

Tertio, talis modus praedefiniendi non est consentaneus rectae rationi, & prudentiae. Si enim Deus ex se omnia bona opera praedefiniuit, cur tam pauca, tam imperfecta, tam languida & remissa, qualia sunt plerumque Christianorum opera: maxime vero cum ipse gratiam suppeditet, qua possumus praestare longe plura & perfectiora? Quae ratione haec duo consentiunt, dare gratiam copiosam, & praedefinite opera pauca, & exigua? Item quomodo nos hortatur ad summam perfectionem: *Esote, inquit, perfecti sicut pater vester caelestis perfectus est*: & interim ex se non praedefinit nobis nisi imperfecta opera, imperfecta merita, sanctitatem exigua?

Dices, ut se accommodet hominum imbecillitati: sciebat enim quod accepta tam vberi gratia tepide essent operaturi. At multo melius se accommodasset hominum imbecillitati, si nihil praedefinisset de ipso opere, sed totum reliquisset ipsorum arbitrio; nempe ut facerent plura vel pauciora, perfectius vel imperfectius prout vellent. Accommodat se Deus nostrae imbecillitati, non imbecillia & parua efficaciter praedefiniendo; sed ad perfectiora non cogendo, & nostrum teporem tolerando.

Quarto, haec praedefinitio non est consentanea doctrinae Patrum, affirmantium causam seu rationem cur Deus praesciat actus liberos futuros creaturarum, esse quia futuri sunt; non autem esse futuros, quia Deus praesciuit. Nam, iuxta sententiam contrariam, prima ratio cur Deus praesciret actus bonos, esset Dei praedefinitio antecedens, absoluta & efficax. Et actus, ideo essent futuri, quia Deus praedefiniuit. Quod non minus est inconueniens, quam esse futuros quia Deus praesciuit. Imò si praedefiniuit antecedenter, sciuit Deus suum decretum, & vi illius praesciuit actus futuros. Parum etiam conuenit cum illis Scripturae verbis, *Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui*, &c. Neque enim fuit relictus à Deo in manu sui consilii, id est, suo ipsius arbitrio, ad eligendum quod voluerit, si Deus absolute & efficaciter praedefiniuit quidquid ipse facturus est infallibiliter, in particulari, & quoad omnes circumstantias, durationis, intensiois, multitudinis &c. ita ut ipse neque aliud, neque aliter facere possit, prout subest tali praedefinitioni efficaci

& decreto Dei absoluto. Vnde etiam ligatur extrinsece libertas praeventa antecedenter tali decreto, quod non pendet ab illa. Vnde sit est enim antecedens; & eo praesupposito, non potest voluntas non facere id quod praedefinitum est: quamuis retineat libertatem intrinsecam, id est, potentiam indifferentiam ad oppositum, supposito quòd Deus non praedeterminet physice, sed utatur scientia media ad obrinendum infallibiliter consentantem liberum quem praedefinit.

Neque respondeat aduersarij nescire homines Deum sic praedefinuisse, ac proinde agere tanquam relictos suo consilio. Tum quia ipsi profitentur se hoc scire, adeoque sibi contradicunt. Tum etiam quia alii, qui nesciunt, non propterea sunt relictos in manu sui consilii, sed falso putat se relictos, quamuis non sint, cum Deus omnia praedestinauerit antecedenti suo consilio, curetque tummo & infallibili studio, ut fiant omnia sicut praedefiniuit. Adde praedefinitiones illas, eo modo quo asseruntur à Suare, & aliis aduersariis, reddere inutilem potentiam intrinsecam voluntatis ad dissentiendum respectu operum praedefinitorum; & potentiam intrinsecam eiusdem ad consentiendum respectu operum non praedefinitorum. Quia si quis habet in sua potestate prauidere omnes occasiones & circumstantias in quibus sit consenturus infallibiliter, & in illis solis se constituere, atque se ipsa te in illis solis constituat de industria, ille sine dubio reddit inutilem potentiam intrinsecam tuae voluntatis ad dissentiendum. Et similiter si de industria, & ex praescientia constituat te solum in iis occasioibus, in quibus prauidet te non consenturum: reddit potentiam tuam intrinsecam inutilem ad consentiendum. Atqui Deus, iuxta sententiam aduersariorum, ita se gerit circa actus praedefinitos, & non praedefinitos: ut de praedefinitis vltro fatentur ipsi: de non praedefinitis vero consentantur ad agere, si coherenter sententiae loqui velint, ut nos supra ostendimus. Ergo &c.

Neque verò possunt argumentum contrarios retorquere, eò quòd fateamur Deum re ipsa elegisse plurimis medijs quae sciebat non profutura, & aliis medijs quae prauidebat esse profutura. Nam aliud est quòd elegerit deus, at praescientia illa conditionata non dirigente electionem, ut haec incongrua praeter aliis congruis eligat aliud, quòd elegerit ex praescientia & ex voluntate antecedente obligante ad sic eligendum, & ad efficiendum ut scientia illa de conditionata transfirret in absolutam, non alioquin irritum esset Dei decretum antecedens absolutum & infallibile circa tales actus. In nostra sententia totum negotium à nobis pendet, nosque ipsi, non consentiendo, reddimus potentiam consentiendi inutilem. Deus enim nihil ante praedefinit.

Quinto doctrina illa de praedefinitione omnium bonorum operum non habet soli-



Doctrina  
de prede-  
st. non ha-  
bet solidū  
fundamen-  
tum.

dum fundamentum in Scriptura, vel ratione. Opponit præcipue Ruis tota disp. 6. de providentia, fidem nostram, & sanctitatem, omniaque bona opera, referri ad gratuitam Dei electionem, id est, efficacem prædefinitionem, Ephes. 1. vers. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate.* Et Matth. 11. *Abcondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Et Ioan. 10. *Vos non creditis, quia non estis ex ovis meis,* id est, non estis prædestinati, & prædefiniti ad credendum. Quæ prædefinitio est antecedens, cum sit causa fidei. Ut clarius significatur Act. 13. ubi de Antiochenis dicitur, *Crediderunt prædicationi Pauli quotquot erant præordinati,* id est, prædefiniti à Deo, ut exponit Chrysof. ibid. Item propositum illud, secundum quod dicuntur sancti vocari ad fidem, & alia bona opera, Rom. 8. & 9. & 2. Timoth. 1. aliisque locis, nihil aliud esse nisi efficacem illam & infallibilem Dei prædefinitionem. De qua etiam intelligendum est illud Rom. 9. *Miserabor cui miseror: & misericordiam præstabo cuius miserabor.* Et illud Prouerb. 8. *Præparatur voluntas à Domino.* Et illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* id est, vocauerit secundum propositum, & prædefinitionem illam. Addit tertio, eodem pertinere ea Scripturæ loca, quibus dicitur Deus eos nostrum in manu sua habere, & quocunque voluerit vertere, inclinare, innouare, regere, circumcidere, aperire, conuertere, præparare, creare in operibus bonis, & facere ut in præceptis eius ambulemus, atque in nobis operari, velle & perficere.

78.

Non enim  
bene dedu-  
citur ex  
Scriptura.

Sed ad primum Respondeo, fidem & sanctitatem nostram referri ad gratuitam electionem, & beneplacitum Dei, Ephes. 1. & Matth. 11. ratione primæ vocationis pure gratiæ: licet non eam ante præiustum nostrum consensum prædefinitur. De vero autem sensu verborum Christi Ioan. 10. & Lucæ Act. 13. dicemus inferius sect. 7. Ad secundum, dico nomine propositi, Rom. 8. & 9. & 2. Tim. 1. significari plerumque beneplacitum Dei antecedens nos perducendi ad gratiam & vitam æternam, quod consequenter transit in voluntatem efficacem, præiusto nostro consensu & bono statu finali. Quod si alio quando significatur eodem nomine voluntas Dei efficax & antecedens faciendi aliquid, ut forte Rom. 9. v. 11. id non debet ad omnia opera nostra bona extendi. Plura hæc in Script. locis & aliis in confirmationem allatis dicemus sect. 7. & in Tract. de gratia. Ad tertium respondeo testimonia illa nihil aliud significare, quam Deum habere in thesauris suis omnipotentia gratias præuenientes, quibus possit hominum voluntates vertere, quod voluerit, ita ut ipsa non sint illis resistunt, quamuis possint resistere. Et nullum opus bonum fieri posse sicut oportet ad salutem,

absque ipsius gratia, per illamque Deum facere, ut in præceptis eius ambulemus, & operari in nobis velle & perficere. Quæ omnia vera sunt, licet Deus non prædefinit antecedenter, & efficaciter omnia bona opera.

Argumentatur deinde Ruis hac ratione, Deus facit semper id quod optimum est, & perfectissimæ providentiæ atque rationi maxime consentaneum, ita ut melius aliud nec fieri, nec excogitari possit. Sed prædefinitio omnium bonorum operum est melior modus providentiæ, magisque consentaneus rationi, sapientiæ, bonitati, & omnipotentia Dei: ergo &c. Maiorem supponit velut à se probatam alibi. Minorem verò confirmat, quia melior est providentiæ ratio, si prima causa mouens ad quocunque bonum & finem particularem, intendat illum efficaciter, & præconferuat omnia media ad illum infallibiliter consequendum. Magis etiam commendatur diuina misericordia & liberalitas erga quoslibet fideles aut iustos, si eos ita præuenit. Et magis dignum est omnipotentia diuina, mouere homines efficaciter & infallibiliter ut eliciant liberè pietatis opera. Maior quoque bene operantibus imponitur obligatio agendi gratias Deo, magisque seipos humiliandi. Quia & Deus illis prædefinitionis gratiam negasset, nihil meliores cæteris peccatoribus euasissent.

Verum quicquid sit de maiori, de qua alibi diximus Minor neganda est. Ad cuius primam probationem dico contrarium parere ex dictis num. 76. & 75. Ad secundam dico non ita commendari debere misericordiam Dei & liberalitatem erga aliquos, ut detrahatur sincero eius desiderio erga salutem aliorum. Ut fit si Deus tam paucis opera bona prædefinit: aliis verò negat prædefinitionem, sine qua infallibiliter futurum est ut meliores non euadant. Siquidem iuxta illam sententiam nihil boni sit, quod non fuerit à Deo prædefinitum: ut etiam in dictis verbis auctoris postremò relata. Ad tertiam respondeo magis esse dignum omnipotentia, prout dirigitur per sapientiam, non ita prædefinire omnia bona opera: imo aliqua esse, quæ Deus non potest antecedenter prædefinire & velle à se solo, quia supponunt peccatum, ut ostendimus num. 74. Si autem hæc prædefinitio daret bene operantibus occasionem gratias agendi Deo, & se humiliandi: daret etiam non bene operantibus occasionem se excusandi, & dicendi, Domine si illis neguisses prædefinitionem, aequè ac nobis, nihil meliores fuissent: & si nobis aequè ac illis eam concessisses, aequè boni euasissimus.

Sextò denique, doctrina illa de prædefinitionibus omnium bonorum operum eadem continet absurda, quæ prædestinatio absoluta efficax & antecedens, ad gloriam, hucusque impugnata. Ut, quod tota quodammodo & summa ratio, cur hæc & nunc tale opus cum istis circumstantiis à nobis fiat, cur tam remissa & tam pauca, referenda sit in decretum diuinum, quod nemo debeat esse sollicitus de bo-



de bonis operibus, de profectu suo spirituali, de proximorum conuersione: quia de his omnibus in saeculari sine nobis est efficaciter decretum à Deo, neque amplius fiet vnquam aut minus, quam decretum est, siue simus felicitati siue non. Hoc enim decretum vt sit, vel non sit, nullo modo à nobis penderet; quia praecedat omnem prauiſionem futurorum. Et eo posito, fieri nequit vt aliter eueniat, quam decretum est. Quare illa praedestinatio reſcindenda est, aequè ac praedestinatio antecedens absoluta & efficax.

SECTIO VII.

solutio obiectionum ex scriptura.

Quae ab aduersarijs ex Scriptura obijciuntur haec praecipue sunt. Primò, quod ait Christus Matth. 24. v. 22. *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur.* Et paulò post: *Pseudoprophetae dabunt signa magna, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ex quibus verbis quibusdam inferunt aduersarij. 1. Dari electos, id est, aliquos dilectos & acceptos praeter alios: neque enim alioqui esset electio. 2. Electionem de qua ibidem sermo est, esse electionem efficacem ad gloriam, quae dicitur electio antonomastice, quaeque à Marco cap. 13. clarius designatur, cum ait: *Propter electos quos elegit, breuiabit dies.* Adde quòd in eodem capite Matthaei paulò post dicitur, quòd Angeli congregabunt electos eius à quatuor uentis. Vbi manifestè sermo est de electis efficaciter ad gloriam, & eo sensu quo electi contradistinguuntur à reprobis. 3. Inferunt electos illos fuisse electos absolute ad gloriam: Nam de alijs nequit intelligi illud, in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. 4. Esse electionem antecedentem: ex qua scilicet applicantur media congrua, vt abbreviatio dierum; & propter quam decernitur perseverantia. 5. Ex his verbis, si fieri potest; colligunt Thomistae praedeterminationem physicam, & impossibilitatem in sensu composito suppositiois planè antecedentis vsus libertatis. Caluiniſtae uero ex iisdem necessitate inferunt.

Respondeo cum Lessio, disput. de praedest. sect. 3. n. 27. Primò indirectè, retorquendo argumentum, Nam potius nocet Aduersarijs, & fauet nostrae sententiae. Quod sic probò: Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, id est, vt aduersarij interpretantur, futurum erat vt omnes succumberent persecutioni, & ab aeterna salute excederent. Ergo nulli erant electi absolute, antecedenter, & efficaciter ante praescientiam operum & boni status finalis. Nam si fuisset illa electio antecedens & absoluta: ergo etiam si non fuissent breuiati dies, id est, imminuta persecutio: tamen ex illa voluntate antecedente, & efficaci, Deus confortasset electos contra vim persecutionis, per media

Tomus I.

quae non deerant thesauro infinito diuinae prouidentiae, effecissetque vt victoriam de illa reportarent.

Secundò, Respondeo directè, in illa parte capitis Matthaei non esse sermonem de consummatione saeculi, de qua post; sed de excidio urbis Ierosolymitanæ. Christum enim de duobus interrogauerant discipuli, verbis illis: *Dic nobis quando haec erunt, quae nimirum iam praedixisti de destructione urbis, & templi Ierosolymitani; & quod signum aduentus tui, & consummationis saeculi?* Christus autem ordine satisfaciens utrique interrogationi, incipit à priori, verbis reſatis in obiectione & alijs praecedentibus. Sensus itaque illius loci est. *Nisi breuiati fuissent dies illi, persecutio scilicet & excidij Ierosolymitani: non fieret salua omnis caro, id est nullus Iudaeorum euaderet. Sed propter electos, id est, paucos fideles & iustos, & secundum iustitiam praesentem electos inchoatiuè ad vitam aeternam, aut etiam finaliter & complete prauiſa perseverantia, breuiabuntur dies illi, in eorum scilicet gratiam, quibus Deus hoc & alia plurima beneficia decernere potuit: siue ex suo beneplacito, siue etiam ex prauiſione precum & bonorum operum, quibus erant ea impetraturi: tametsi non fuerint electi antecedenter absolute & efficaciter ad gloriam, vt uolunt aduersarij. Atque ita hunc locum de saluatione temporali respectu excidij Ierosolymitani exponunt Sancti Patres Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, & alij quos citant & sequuntur Salmeron, & Cornelius à lapide, ad eandem locum.*

Illud autem, *ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi, dictum est, vt Glossa post Origenem, & alij notarunt, ad exaggerandum, quam magna esset futura vis persecutionis, & falsorum miraculorum Pseudoprophetarum qui fuerunt tunc temporis: ita vt parum abesset, quin inducerentur in errorem ipsi etiam electi inchoatiuè, id est, fideles illius temporis, tam bene instructi ab Apostolis, & tot ueris miraculis, per Christum, & per ipsos, eorumque successores in fide confirmati. Vel etiam electi complete & absolute, sed electione consequenti post prauiſa opera, quos seduci finaliter est impossibile ex hypothesi consequente praescientiae, & electionis absolute, post praescientiam factae. Non est autem necessarium vt vox, *electi*, sumatur hic eodem sensu, quo postea cum dicitur in responsione Christi ad secundam interrogationem, *congregabunt electos eius à quatuor uentis.* Sape enim Scriptura, non modò in eodem capite, sed & in eadem periodo, eandem uocem usurpat in sensu diuerso: vt cum ait psal. 81. *Deus fecit in synagoga Deorum, id est, Iudaeorum.* Et 2. Cor. 5. v. *vt. Eum qui non nauerat peccatum, id est, culpam, pro nobis peccatum fecit, id est, hostiam pro peccato.**

Non item refert quòd plurimi praedicta Matthaei uerba de persecutione Antichristi

K k

83.  
Vera illius  
expolitio.

84.

TINO  
US  
PART



exponunt. Nam huic expositioni possunt quæ diximus facile accommodari. Quod scilicet Deus propter fideles & iustos, qui tunc erunt, electosque ad gloriam inchoatiue, vel etiam completè ex præuisione status finalis, breuiabit dies perfectionis Antichristi, motus eorum precibus, vel ex suo beneplacito; nolens in eorum gratiam permittere ut Antichristus diutius sæuiat, & tentatio magis inualeſcat. Idquè ex intentione & vero desiderio ut fideles perseuerent: quauis de eorum perseuerantia, & de gloria, nihil absolutè, & efficaciter statuerit ante præuisionem. Multoquè minus uoluerit prædeterminare physicè aut necessitate ad perseuerandum. Per hæc omnibus aduersariorum illationibus & considerationibus satisfactum est.

Obijciunt secundo, illud Christi ad discipulos Luc. 12. v. 31. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare uobis regnum.* Vbi per pusillum gregem, uolunt intelligi prædestinatos, qui pauci sunt præ multitudinè reproborum. Et per uerbum *complacuit*, aiunt significari Dei affectum specialem, & uoluntatem antecedenter efficacè erga omnes prædestinatos. Quippe quæ à Christo proponitur illis, ut motiuum fiducia.

Respondeo primò, incertum esse, an per pusillum gregem eo loco debeant intelligi omnes electi & prædestinati, ut uult Beda: an potius soli Apostoli, aut discipuli illi, quos tunc coram Christo alloquebatur: aut etiã omnes fideles, ut uult Euthymius, & post eum Maldonatus, ad locum cit. quia, inquit, hæc ad eosdem, ad quos superiora, dicta uidentur. Superiora autem ad omnes Auditores, & in eorum persona, et omnes omnino qui credebant, dicta fuerant.

Secundò, nego uerbum, *complacuit*, significare uoluntatem antecedenter efficacem dandi gloriam omnibus, quos ibi Christus alloquitur. Quod quidem manifestum est, si per pusillum gregem, intelligantur omnes fideles. Neque enim saluantur omnes qui credunt. Est item manifestum, si intelligantur omnes Apostoli, aut discipuli Christi, quos coram præsentibus tunc alloquebatur. Nam inter illos erat Iudas proditor, qui certè non fuit antecedenter prædestinatus efficaciter. Est denique uerum, si et intelligantur omnes electi. Quia electionis antecedenter efficacis reuelatio non erat necessaria ad motiuum fiducia, quam in eorum animis Christus excitare uolebat. & cum eius uerbis antecedentibus, ac consequentibus non bene conuenit. Nam ut rectè Maldonat. exposuit: Christus postquam uerbis præcedentibus nimiam sollicitudinem terrenarum rerum reprehendisset, docuissetque curam & spem conjici debere in Deum, qui non solum homines, sed & bestias omnes alar: addit argumentum à maiore ad minus, quasi diceret: Deus decreuit uobis dare regnum suum, quod est maximum: quomodo ergo patietur uobis quicquam deesse ad uitam necessariũ, quod est minimum? Quamuis autem decre-

uerit tantum conditione, si sermo sit de decreto antecedenti: aut consequenter, si sermo sit de decreto absoluto & efficaci: sufficit hoc ad amorem Dei, & liberalitatem eximia erga nos significandam, ob quam sperare debemus non de futuro ipsum in temporalibus ad uitam necessarijs: quandoquidem regnum ipsum cælorum dare uult ex animo, omniaque ad ipsum consequendum necessaria suppeditat. Sed neque etiam decreuit dare temporalia ad uitam necessaria antecedenter & absolute sine ulla nostra cooperatione, diligentia, & labore in illis comparandis. Cum autem Christus ibidem uerbis proximè sequentibus hortetur ad sollicitudinem bonorum operum & uigilantiam, addita etiam comminatione contra eos qui secus fecerint: *Vendite quæ possidetis, & date elemosynam &c. Sint lumbi uostri præcincti &c.* Patet ex dictis sect. 6. n. 70. & 71. reuelationem prædeterminationis antecedentis, absolute & efficaciter, non bene conuenire cum eiusmodi exhortatione.

Obijciunt tertio, illud Christi ad Iudæos Ioan. 10. v. 26. *Vos non creditis, quia non istis ex ouibus meis. Oues meæ uocem meam audient, & ego cognosco eas, & uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Vbi per *oues*, aiunt, intelligi prædestinatos absolute & efficaciter, de quibus solis uerum est illud, *non rapiet eas quisquam de manu mea.* 2. *Et* tunc prædeterminationem illam esse antecedentem, sicut & reprobationem illi oppositam: quippe quæ affertur ut causa, cur Deus uocet sic electos uocatione congrua, & alios incongrua: ut significat Christus uerbis illis: *Vos non creditis, quia non istis ex ouibus meis.*

Respondeo primò, si hæc Aduersariorum explicatio uera esset, sequeretur causam, cur Iudæi non crederent, fuisse, quia non erant antecedenter absolute & efficaciter prædestinati. Quasi nullus, nisi tali modo prædestinatus, credat. Quod omnino falsum, & contra fidem est. Siquidem multi qui crediderunt, atque etiam iusti aliquando fuerunt, excidunt à gloria, & damnantur defectu perseuerantia.

Respondeo secundo cum Maldonat. in hunc locum, ubi hic appellari non tantum omnes iam crecentes in Christum: sed etiam per anticipationem (ut supra v. 6. cum dixit: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*) eos omnes qui quamuis non dum crederent, ita tamen erant comparati animo, ut facile essent, si doctrinam eius audissent, credituri. Hoc enim Christus Iudæis exprobrat, quòd ex eorum numero non sint, quòdque tam duro, & tam obstinato contra ueritatem sint animo, ut ne inter futuras quidem oues suas numerari possint magna saltem ex parte, ideoque non credat. Quasi diceret: Vos non creditis, quia duro & maligno estis animo. Vos non creditis, quia mihi uocanti non paritis ouina tractabilitate. Vos non creditis, quia maliciose uocem meam contempnit, & uocationem reij-

86.

Eplicatur  
Ius alter  
ex Luc.  
11.

Euthym.  
Maldonat.

87.



citis, ac proinde non estis ex ouibus meis, *Quis enim mea vocem meam audivit*, id est, non reijciunt malitiosè, sed respondent vocationi. *Et ego cognosco eas*, scientià approbationis: *Et vitam eternam dabo eis*, nunc quidem in spe & per gratiam, ac deinde reipsa per gloriam, modò in statu ouium perseuerent. *Et non rapiet quisquam eas de manu mea*, id est, nemo potest illas mihi eripere. Nulla earum peribit meà culpà, vel impotentia; quia nullus est me fortior, qui eas mihi inuito rapere valeat: sed si pereunt, suà ipsarum culpà & voluntate peribunt: quia me sequi desinent. Sunt enim illa verba intelligenda, quantum est ex parte Christi & Dei. Non verò absolute & sine conditione perseuerantià. Sicut illud Ioan. 3. v. 16. *Va omnis qui credit in ipsum non percat, sed habeat vitam eternam*. Sicut etiam ex Trident. illud Philip. 1. v. 6. *Qui cepit in vobis opus bonum, ipse perficiet*, intelligitur quantum est ex parte Dei, vt loquitur Concilium, & nisi ipsi gratia defuerint. Promissiones enim vitæ eternæ in Euangelio sunt intelligendæ conditionatè, ex eodem Concilio Iess. 6. can. 20.

Tertio, quamuis locus ille intelligendus esset de prædestinatis absolute ad gloriam, vt explicatur à Diuo Augustino tract. 48. in Ioan. Non propterea deberet intelligi de prædestinatione absolute facta ante præuisa merita. Possent enim aequè intelligi de prædestinatione absolute facta consequenter post præuisa merita. Quasi diceret, Vos non creditis, quia nequam estis, & obstinati atque excecati voluntariè, & in hac nequitia perseueraturi, & tandem damnandi salutem magna ex parte. Ita vt particula, *quia non estis ex ouibus meis*, significet malitiam & reprobationem consequentem. Videri potest Toletus in cap. 10. Ioan. annotat. 16. vbi Cyrillum citat in hunc sensum, quem etiam satis aperte præ se ferunt Augustini verba hocq. suprâ relato.

Obijciunt quartò illud Christi ad Apostolos Ioan. 13. v. 17. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Nò de omnibus vobis dico. Ego scio quos elegerim. sed vt adimpleatur Scriptura, qui mandauit at mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum*. Vbi notant, Christum loqui de electione antecedenti absolute & efficaci. Primò, quia Iudam excipit è numero sic electorum. At electio antecedens conditionata & inefficax, est communis omnibus, & nullus ab illa excluditur. Secundò, quia Christus affert electionem illam pro causa, cui Iudam excipiat, cum ait: *Non de omnibus vobis dico. Ego scio quos elegerim &c.* At electio antecedens, inefficax tantùm & conditionata, non est causa quemquam excipiendi. Secus autem voluntas antecedens absoluta & efficax, per quam ceteri virtualiter excluduntur.

Respondet verum illius loci sensum hunc esse: *beati eritis: si hæc scitis*, quæ dico vobis, id est, si creditis, & si feceritis ea: vt de facto creditis, & facietis. *Non de omnibus vobis dico*. Quia non omnes creditis aut facietis: id est,

ista propositio conditionalis non est vera de vobis omnibus in sensu non modò purè hypothetico & suspensio, sed etiam transiuro in absolutum: *Ego scio quos elegerim*, id est, scio quales estis interioriùs, quos in Apostolos elegerim. Ibi enim de electione ad Apostolatatum duntaxat sermo est. Licet D. August. interpretetur de electione ad gloriam: cui expositioni fauet illud, *Beati eritis, si feceritis ea*, vbi de beatitudine gloriæ sermo est. Sed nostram interpretationem de electione ad Apostolatatum, vt magis literalem ac propriam tradunt alij plurimi, de quos sequuntur Maldonat. & Toletus. De qua etiam intelligendum est illud Christi Ioan. 15. v. 16. *Non vos me elegeritis, sed ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis*. Nota, vt eatis. Ite enim Apostolorum, id est, discipulorum, proprium est. Et illud Ioan. 6. v. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus vestrum diabolus est?* Sed neque illa expositio D. Augustini nobis obest. Est enim sensus: Ego scio quos elegerim ad gloriam efficaciter, consequenter scilicet: & quid facturi sint, quemadmodum statum finalem habituri, ex cuius præuisione illos elegi efficaciter.

Cætera quæ sequuntur in textu, *sed vt adimpleatur Scriptura &c.* consequenter intelligenda sunt. Ita vt non significant causam finalem: sed tantùm euentum & consecutionem prædictionis: phrasi Scripturæ familiaris, cuius exempla videri possunt Ioan. 12. v. 38. & 39. vbi dicitur Iudæos non credidisse, vt impleretur Prophecia. Et cap. 19. dicuntur aliqua circa Christum patientem fuisse facta, vt impleretur Scriptura. Cùm tamen prædictiones illæ diuinæ, non fuerint causa, cur hæc mala fierent: sed potius quòd fierent, esset causa, cur fuerint à Deo præuisa & prædicta. Denique reuelatio reprobationis antecedentis fuisset inconueniens & inepta ad finem à Christo intentum, qui eodem cap. in obiectione citato, conatus est crebris increpationibus Iudæos conuertere, à suo scelere, æternæque perditione reuocare.

Obijciunt quintò illud Actor. 13. v. 48. de Antiochenis, *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam eternam*. Vbi volunt sermonem haberi de præordinatione non conditionata: nam alioquin omnes credidissent; quia omnes erant ita præordinati ad vitam æternam iuxta illud 1. Timoth. 2. *Vult omnes homines saluos fieri*: sed de absoluta, & quidem antecedenti, quippe quæ affertur vt causa, cur crediderint.

Respondeo primò, non esse necessarium vt verbis illis, *quotquot erant præordinati &c.* significetur causa, cui Antiocheni crediderint. Potest enim significari aliquid consequens, id est, præordinatio ad vitam æternam facta consequenter præuiso ipsorum consensu, & finali bono statu. Secundò, non esse quoque necessarium verba illa intelligi de præordinatione ipsius Dei, siue antecedenter, siue consequenter facta: possunt enim meliùs intelligi de præordinatione, id

TINO  
US  
part

92?  
Quintus  
locus  
scrip.  
Act. 13.



est, prædispositione ipsorummet Antiochenorum. Nam in textu Græco pro præordinati habetur *preparati*, id est ordinati, dispositi, bene affecti, propria scilicet voluntate cum Dei gratia præueniente. Eodemque redit, quod ait Vulgata, *Crediderunt quotquot erant præordinati*, id est, præapti & prædispositi voluntariè. Quæ prædispositio ibidem v. 46. opponitur malæ dispositioni Iudæorum contradicentium malitiosè prædicationi Apostoli. Ad quos idcirco Paulus sic ait: *Uobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.*

93.  
Exponitur  
illud 2.  
Tim. 2.  
Nouit Dominus  
quis qui  
sunt eius,  
&c.

Præcedenti testimonio affine est illud 2. Timoth. 2. *Primum fundamentum Dei stat, habens signum: hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius.* Vbi quamuis nomine fundamenti deberet intelligi ipsa Dei prædestinatio firma, seu efficax, & absoluta, vt exponunt aliqui sanctorum Patrum: posset tamen facile intelligi de prædestinatione facta consequenter post præuisionem boni status finalis, & operum, aut conditionum necessarium ex parte prædestinati. Hæc enim non est minus firma: & habet pro firmante & obfirmante signaculo infallibilem præscientiam diuinam de perleuerantia in fide & bonis operibus, aut de bono statu finali. Propter quod subditur immediatè post: *Et discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Quod enim ante talem præscientiam prædestinatio sit adhuc suspensa & conditionata, pendeatque à nostris operibus, vt simus, aut non simus de numero prædestinatorum, docet Apostolus duobus versibus immediatè sequentibus: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & utile Domino, ad ænne opus bonum præparatum.* Vbi nota particulam conditionalem, *Si quis ergo* &c. significante ad eo pendere, quod simus prædestinati. Verùm nomine fundamenti existimo potius intelligi debere ipsos fideles firmos & stabiles in fide. Dixerat enim paulo ante Apostolus v. 16. 17. & 18. vitanda esse vaniloquia hæreticorum, quorum sermo vt cancer serpit, cuiusmodi sunt, *Hymeneus & Philetus, qui à veritate exciderunt, & subuerterunt quorundam fidem.* Tum v. 19. subdit: *Sed firmum fundamentum Dei stat &c.* Vbi, vt notat Cornel. vocem, *stat*, opponit voci, *subuertunt*: Et nomine illius fundamenti firmi & stantis, intelligit firmos & constantes in fide, quos opponit inconstantibus & subuersis ab Hymenæo, aliisque hæreticis. Vocat autem illos *fundamentum Dei*, non passiuè, sed actiuè: id est, firmos & constantes Dei ope, & auxilio: non tamen sine propria cooperatione, propter quod addit: *Et discedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini*, id est: Si quis firmam fidei suæ fundamentum stabilire, & obfirmare vult, fugiat

confortium Hymenæi, & Philetii aliorum, que hæreticorum, eorumque iniquitate, id est, hæresim. Vel etiam, generalius sciendo nomen iniquitatis: abstineat ab omni mala, & iniqua actione. Nam qui alia vitia fugit, non peruerteretur per hæresim.

Qui autem sunt firmi in fide, habent signaculum hoc, *Cognouit Dominus qui sunt eius*, id est, sunt præsciti & præcogniti à Deo permansuri esse in fide. Vel potius, sensus Apostoli est, quod Deus illos notos faciet, & designabit aliquo signo externo. Ita vt verbum, *cognouit*, sit accipiendum in *Hiphil*, & in futuro pro præterito, phrasi Hebraica, pro *cognoscere faciet*. Vt enim rectè notat Auctor supra cit. alludit Apostolus ad Num. 16. v. 5. & 26. vbi in schismate Core, Dathan, & Abiron, de sacerdotio contendentium contra Aaronem, dixit Moyses: *Mandatum faciet Dominus, qui ad eum pertinent, & illos in infernum viuos detrudendo.* Ita vt sensus sit, quod sicut Deus in illa seditione ostendit, quinam essent sui; primo separatione illorum à congregatione Core, Dathan & Abiron: secundo, horribili eorum & affectuum omnium supplicio. Ita duobus signis, vt veluti sigillis ostendet Deus qui sint veri & firmi fideles: primo, per fugam hæreseos, & consuetudinis hæreticorum: Secundo, cum illorum fidem manifestabit, & toti mundo celebrem reddet, tum in hac vita, per constantiam, pietatem, & alia fidei, gratiaque opera: tum in futuro iudicio, per publicam sententiam, quæ istos ad suam gloriam euehet, alios verò inconstantes, & impios ad barathrum inferni detrueret.

Obijciunt sexto inuadendo Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Vbi notant illud, *secundum propositum*, non secundum opera: & vt essemus sancti, non autem, quia eramus sancti. Addunt ex v. 11. *In quo & sorte vocati sumus secundum propositum eius &c.* sorte, inquit, non in dicitur nostrâ vel operâ.

Respondeo cum D. Augustino lib. de prædest. sanctorum cap. 19. Hieronymo in commentario eiusdem loci, Cornelio Lapide ibidem, Lessio sect. 3. n. 38. disp. de prædest. & pluribus alijs, in verbis illis, *elegit nos*, sermonem esse de electione ad fidem & iustitiam, quæ est sanctitas huius vitæ, & sanctitas inchoata, non autem consummata, qualis erit in altera vita per gloriam. Verba sequentia, *qui prædestinauit nos &c.* possunt similiter accipi de prædestinatione ad gratiam & iustificationem, per quæ euadimus filij adoptionis. Idque secundum propositum Græcæ iudiciorum, id est beneplacitum & liberale Dei decretum, quo prædestinauit, id est, statuit & proposuit nos vocare ad fidem, & sanctitatem Christianismi per Iesum



Christum, in quo & forte vocati sumus: forte, in qua, hoc est sine merito: Græcè ἐκ χάριτος & gratiæ, id est, sortiti sumus, passivè: ita vt ex parte nostra fuerit fors & fortuitum vocari ad fidem, gratiam, & Christianismum, Quia nihil agebamus vt voceremur, ac ne cogitabamus quidem de vocatione, aut etiam aliqui eam fugiebant & auersabantur. Ex parte tamen Dei non fuit fors, sed dilectio & destinatum propositum vocandi nos, & quidem specialiter præ alijs non ita vocatis. Propter quod addit Apostolus, secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. Quanquam nomen propositi non debet necessariò intelligi de speciali quodam affectu Dei erga aliquos præ alijs, ad vocandum, aut ad beneficia conferenda. Nam vox illa, per se, significare potest generale Dei beneplacitum saluandi omnes, commune omnibus hominibus, secundum quod nos in tempore vocat ad statum gratiæ & adoptionis filiorum per Iesum Christum. Videatur Cornæus in locum Pauli citatum, vbi Anselmum, D. Thom. & Latinos passim pro eadem expositione citat.

Possent etiam intelligi verba illa de prædestinatione ad gloria perfectam & absolutam, sed consequenter post præuisa opera. Quæ sit nihilominus sorte & gratis in radice primæ gratiæ, seu primæ vocationis, vt addit S. Thom. lectione 2. in cap. 1. epist. ad Ephes. Quanquam non est verisimile reuelasse Apostolum omnibus Ephesijs conuersis prædestinationem absolutam, quandoquidem illos vrget metu finalis exitus cap. 5. v. 6. & 15. cum potius credibile sit ignorasse Apostolum, quinam essent sic electi: maximè cum de seipso dicat 1. Cor. 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Obijciunt septimò illud Apostoli Rom. 8. Scimus quoniam diligenti us Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit. Et quos vocavit, illos & iustificavit. Quos autem iustificavit, illos & glorificavit. Ex quibus verbis inferunt aduersarij aliquid esse propositum speciale, ex quo vocantur aliqui quibus omnia cooperantur in bonum, quique in fallibiliter iustificantur & glorificantur. Illud autem propositum est antecedens, cum sit causa primæ vocationis, adeoque prius omnibus operibus gratiæ.

Respondeo sensum Apostoli esse quod diligentiibus Deum omnia cooperentur in bonum, si maneant in dilectione, & velint bene vti occasionibus. Est enim conditio ibi subintelligenda, sicut cum dicitur Marci ult. timò, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, si nimirum mandatis etiam diuinis obediuerit, & perseuerauerit, aut bene vitam finierit. Per eos autem qui secundum propositum vocati sunt sancti, intelligit Paulus omnes fideles & iustos. Et per, propo-

sum, non intelligit voluntatem antecedentem & efficacem saluandi aliquos, vt volunt aduersarij; sed desiderium Dei antecedens, seu beneplacitum saluandi omnes, commune omnibus fidelibus & iustis, imò & omnibus hominibus. Quod non est efficax & absolutum antecedenter, sed annexum conditioni, cuius defectu non omnes saluantur, ac ne quidem illi omnes qui aliquando sunt fideles & iusti. Nego itaque illationem aduersarij: nimirum esse aliquid propositum speciale antecedenter efficax, secundum quod iustificentur & glorificentur infallibiliter illi qui saluantur. Et dico sensum verum Apostoli hunc esse: Diligentius Deum omnia cooperantur in bonum, si velint bene vti omnibus, & in Dei dilectione manere: iis qui secundum propositum vocati sunt sancti, id est, ijs sanctis seu iustis qui ad fidem, & sanctitatem, & ad gloriam æternam vocati sunt à Deo: secundum propositum, id est, desiderium antecedens quod habet saluandi omnes: quod desiderium eum mouit vt vocaret, & contententes vocationi iustificaret, & iustificatos finaliter, aut perseuerantes in iusticia accepta, glorificaret. Nam quos præsciuit consenturos & perseueraturos, aut bene finituros, prædestinavit, id est, decreuit efficaciter & absolute, conformes fieri imaginis filii sui in gloria. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit in tempore, exequendo propositum seu beneplacitum antecedens eos saluandi. Quod beneplacitum est causa vocationis: non autem prædestinatio, quæ potius est effectus illius, & iustificationis ac perseuerantiæ. Et quos vocavit, illos & iustificavit, si consenserunt vocationi, & quæ consenserunt. Quos autem iustificavit, illos & glorificavit, supposita similitur perseuerantiæ seu bono exitu à vita.

Addo denique quamvis per propositum deberet hîc intelligi speciale & proprium electorum, vt contendit Herice ex mente D. Augustini, disp. 23. n. 33. nihil proficerent aduersarij. Posset enim intelligi de voluntate efficaci & absoluta, consequente præuisum nem operum, vel boni status finalis: quodque vocatio danda, non ex illo proposito vt causa, sed secundum illud, id est, ad illud exequendum in tempore, futura esset congrua, & habitura deinceps quicquid aliud necessarium est ad salutem æternam consequendum. De auctoritate verò D. Augustini in prædicta controuersia, quam ibidem vrget Herice, dicemus sectione sequenti.

Octauò obijciunt illud Rom. 9. Cum nondum nati fuissent, Iacob scilicet & Esau, aut aliquid boni egissent aut mali, non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, Rebecca, quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et paulò post: Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Et, Nunquid potest scelus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in contumeliam?

Septimus scrip. locus ex Rom. 8.

97.

98.

Octauus scrip. locus ex Rom. 9.

Kk 3



Respondeo primò cum Becano cap. 14. q. 4. num. 27. Catholicos non posse his vi locis ad probandam electionem antecedentem absolutam & efficacem ad gloriam, nisi veli ut reprobationem quoque ad mortem & damnationem factam esse pariter antecedenter & efficaciter, ante prævisionem operum. Nam Paulus de utraque simili modo loquitur: & æqualiter excludit prævisionem operum honorum & ænalorum, verbis illis, Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali. Nec minus loquitur de damnatione, quam de salute, iuxta aduersarios, cum ait. Esau odio habui: vas in contumeliam, &c.

Respondeo secundò, Paulum toto illo capite docere Iudæos reiectos esse à iustitia & salute, propter infidelitatem: gentes verò ad eam adscitas esse propter fidem in Christum. Quod maxime patet ex v. 30. vbi totum hoc caput ita concludit: Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non factabatur iustitiam, apprehendunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectando legem iustitiæ, id est, legem veterem iustitiæ legalis, in legem iustitiæ, id est veræ sanctitatis per Christum collatæ, non peruenit: quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est, Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui crederit in eum non confundetur.

Tertio, ut totum caput breuiter percurrat: Postquam versus primo, & quatuor sequentibus, suum amorem Iudæis testatus est, ne videretur ex odio proferre, quæ de ipsorum reiectione dicebat: v. 6. docet, etiam si Iudæi propter incredulitatem reiecti fuerint, & gentiles in Christum credentes, adsciti: nõ propterea irritari aut frustrari promissiones, à Deo factas Abraham, eiusque filijs Israëlitis. Quia huiusmodi promissiones non pertinebāt ad filios secundum carnem dumtaxat: sed ad filios secundum spiritum, qui credendo in Christum, Abraham fidem imitabantur. He enim sunt veteris Abraham filij, & filij promissionis atque electionis diuinæ, non Iudæi carnales & increduli. Non autem quod exciderit verbum Dei, inquit: non enim omnes qui ex Israel sunt, is sunt Israelitæ, veri scilicet, ad quos pertinet diuina promissio spiritualis Abraham facta. Neque quis semen sunt Abraham, omnes filij: Græcè dicitur, neque quia semen Abraham, id est, ex semine Abraham carnaliter progeniti, eo ipso censentur filij, tales scilicet, ad quos pertineat benedictio & hereditas Abraham: sed in Isaac uocabitur tibi semen, id est, phrasi Hebraica, Isaac erit & vocabitur semē tuum, eritque verus ac genuinus filius tuus, & consequenter hæres tuæ benedictionis: non autem Ismaël, quem ex Agar, nec alij quos de Cetura genuisti, qui licet filij Abraham secundum carnem, non tamen filij promissionis & benedictionis.

Idem secundò confirmat exemplo Iacob & Esau, cum subdit v. 10. Non solum autem illa, supple Sara Isaac mater, sed & Rebecca, idem

nimirum experta est, non omnes filios Abraham secundum carnem, esse filios promissionis & benedictionis, ex uno concubitu habens Isaac patris nostri, duos supple gemellos Iacob & Esau, quorum prior, licet minor, prælatu s fuit Esau seniori, factusque successor & hæres Isaac patris sui. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, Iacob & Esau re ipsa factis, aut etiam futuris & à Deo præuisis, sed ex vocante, Deo, dictum esse ei, Rebecca, maior seru er minori, Esau scilicet seruiet Iacob, non in sua persona, sed in suis posteris. Iudæi enim descendentes à Iacob, soli quasi hæredes Abraham, possederunt terram promissam Canaan, & beneficijs Dei locupletati sunt; eique seruiertur Idumæi, posterij Esau; ut patet ex 2. Reg. 8. & Malach. 1. ex quo loco Paulus idem confirmat, cum subdit: sicut scriptum est (Malachia 1. scilicet) Ia ob dilexi, Esau autem odio habui, id est, posteros Iacob dilexi, & elegi ad bona potissimum temporalia, præ posteros Esau. De quibus bonis ibi sermone esse, ex textu Malachia manifestum est; non autem de electione ad gloriam, à qua Esau & Iob & alios plerosque Esau posteros non excidisse verisimilius est, & de Iob est indubitatum, cum sanctus vocetur passim à Patribus, & illius ut sancti fiat commemoratio 10. Maij in Martyrologij Romano, Bedæ Vuardi, & Adonis, & in Gregorij Menologio.

Commemoratur autem inter alia Malachias cap. citato, quod cum Deus Iudæos simul & Idumæos propter peccata Chaldaei vastandos tradidisset, Iudæos diligens specialiter ex captiuitate Babylonica reduxerit, & in patriam restituerit, Idumæos autem in ualitate & captiuitate Babylonica reliquerit, eorumque terram in solitudinem relictam, draconibus habitandam, dederit: atque ita Iacob in posteris suis Iudæis specialiter dilexerit: Esau autem in posteris suis Idumæis oderit, id est, neglexerit præ Iacob, minus dilexerit, postposuerit. Quo sensu Lia Gen. 29. v. 31. dicitur à Iacob esse odio habita, id est, minus dilecta, & neglecta præ Rachel: Et Luc. 14. v. 6. iubemur odio habere, id est, minus diligere, & Deo postponere, patrem, matrem, uxorem &c. Et Matth. 6. v. 24. nemo potest duobus Dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diligit: aut unum sustinebit, & alterum contemnet, id est, minus diligit, minus obseruabit: non autem odio habebit propriè dicto, quod ne quidem moraliter necessarium est.

Quod autem Deus, etiam ex mero beneficio, citra omnem differentiam operum aut meritum, unum alteri præferat ad bona temporalia, imò & ad plurimã spiritualia, nihil absurdi continet; idque re ipsa, etiam in negotio prædestinationis fecisse dicemus infra. Quanquam fortasse non est necesse verbis illis, non ex operibus, excludi opera gratiæ futura & præuisa, quæ de re paulò

100.  
Breuis expositio capituli 9. epistolæ ad Romanos.

101.

100.

101.



post. Neque particula, ut secundum electionem propositum Dei maneret, cogit illa excludemus, ut ibidem ostendimus.

104 Pergit deinceps Apostolus à vers. 14. ostendere nullam idcirco esse in Deo iniquitatem. Quid ergo dicemus? inquit. Nunquid iniquitas, Græcè ἀδικία, iniustitia, est apud Deum? id est, si Deus sine merito Iacob dilexit, Esau verò illi æqualem odium habuit modo supra dicto, nunquid iniustus est? Absit, inquit. Et rationem reddens, atque objectioni satisfaciens, subdit: *Mosis enim dicit (Exodi 33. vers. 19.) Miserebor cuius miseror, & misericordiam præstabo, cui miseror, id est, cuius voluero misereri. Quasi dicat: talis dilectio, & collatio maiorum beneficiorum, non est cuiquam debita, neque opus iustitiæ, sed misericordiam, mihi libera & pure gratuita. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: id est, benedicto Abraham, & Isaac, non fuit Esau volentis, & currentis in campum ad venandum, ut cum ex sua venatione comedisset pater, benediceret ei: sed fuit Iacob, cuius Deus miserus est, ut in eum caderet, non in Esau; licet iste senior esset & primogenitus. Dicit enim (vel phrasè Hebraica, etiam) Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excidisti te, Hebraicè ἰσχυρά, id est, stare te feci, permissivè scilicet, vel ut habet Chalæus Paraphrastes Καίεντα, & Septuaginta interpretes, διαρρηκτός, servavit te, servatus es, ut ostendam in te virtutem meam: id est, cum possem mille modis tuam duritiã flectere, & superbiam comprimere, ut Nabuchodonosori & aliis feci: stare tamen permisi, & consequenti voluntate deliberavi ostendere in te virtutem meam per signa, & prodigia, & submergionem tandem in mari rubro. Ergo cuius vult miseretur, pro sua misericordia & beneplacito plus temporalis boni tribuendo, ut Iacob; aut plus etiam patientiæ, vel plus opis ad conversionem, ut Nabuchodonosori: Et quem vult indurat, permissivè, ut Pharaonem, relinquendo suæ malitiæ, neque maiora conferendo auxilia, quibus, si vellet, ad poenitentiam re ipsa permoveeret. Dices itaque mihi, quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis resistit? Obiectio est: quam poterat Apostolus acilè quamprimùm diluere, dicendo Deum meritò conqueri de iniquis, quod ipsi peccent malitiosè: seque ipsos indurent voluntariè, non obtemperando primis vocationibus, ut de Pharaone disertè asseritur Exod. 8. vers. 15. Primum tamen obiectoris audaciam & irreverentiam comprimit, suam ipsi vilitatem obijciens, & affirmans quòd non magis Deo factori & creatori suo debeat obloqui, quàm lutum figulo. In hunc enim sensum debent accipi quæ sequuntur: *O homo, o pulvis, o lutum, tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum, &c. An non habet potestatem figulus, &c.* Neq; verò plus ex hac cõparatione sumendum est, quam ad intentum Pauli & reprehensionem sufficiat: ut rectè monet Chrysostomus hic & alibi generatim de parabolis,*

Alioqui enim Calvinisticum esset, & blasphemum, omnia putare similia, & Deum, quasi figulum, pro suo mero arbitrio, citra ullam liberam operationem hominũ (quippe qui sint veluti lutum in manu figuli, non magis liberi quàm lutum ipsum) facere alios vasa honoris & gloriæ, alios vasa contumeliæ, & damnationis æternæ. Compressa verò hunc in modum obiectoris petulantia, respondet versu sequente dicens, Deum non indurare positivè vasa iræ, sed sustinere potius in multa patientia, differendo diu supplicium, & interim ad poenitentiam excitando, frustra quidem, sed propter ipsorum malitiam & duritiem voluntariam. Quod si, inquit, Deus sustinuit in multa patientia, non autem fecit positivè vasa iræ, & propriã culpã & malitiã, in hereditum: etiam si, utimò non pepercerit, neque maioribus donis vel auxiliis, quibus tandem converterentur, præveniret, eorumque duritiã vsus est, ut ostenderet divinitus gloriã suã in vasa misericordia quæ preparavit in gloriã, quid ad te, supple, vel tu qui es qui respondeas Deo? Quid habes quod conqueri possis? Reliqua quæ sequuntur in textu facilia sunt.

185 Tria verò commemoravit Apostolus. Primum est, promissiones Abraham non pertinere simpliciter ad filios eius carnales. Ne ex eo putarent Iudæi fieri sibi iniuriam si eas non obtinent. Secundum est, Deum pro sua mera voluntate posse in bonis temporalibus ac spiritualibus præferre unum alteri, & constituere aut eligere hoc aut illud præ alio, quos æquè posset constituere vel eligere. Ut intelligant Iudæi Deum pro mera sua libertate potuisse plus beneficij conferre gentibus, quàm ipsis: aut pro suo beneplacito potuisse constituere ut credentes in Christum iustificentur, etiam si antea caruerint operibus legis. Atque ita responsa placuisse Deo in fide Christi constituere iustitiam, & credentes in Christum iustificare gratis, cum æquè facile potuisset alium modum iustificationis præscribere; v. g. circumcisionem, aut naturalem descensum ex Abrahamo, & mille alios modos in suis thesauris recensandos. Unde errent Iudæi, ita legis operibus præfidentes, eisquè nimium adhaerentes, & Christi fidem repudiantes, ac denique iustitiam quærentes atque metientes non ex fide in Christum, sed ex legis operibus, ut subdit Apostolus vers. 30. & sequentibus. Tertium est, nullam à Deo fieri iniuriam peccatoribus & incredulis, quando ipsis induratis, & resistentibus primis vocationibus, non alia suppeditat media, per quæ re ipsa converterentur, quàm utis id posset facere. Ne putent Iudæi Deum sibi iniuriosum esse, cum post primas vocationes, quibus resistunt malitiosè, ipsos relinquat in incredulitate, & eorum loco gentes in Christum credentes admittit. Neq; propterea excidat verbum Dei, id est, infideles & inanes esse illius promissiones: quippe quæ non erant factæ absolute, sed sub conditione fidei in Christum.

Intentio Pauli in eodem capite.





106  
Altera ex-  
positio  
eiusdem  
sapiens.

Præter hanc expositionem, aliam tradunt Patres Græci communiter, à priori in eò maximè differentem, quòd illud, cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent vel mali, dictum velit de operibus re ipsa factis, non autem de futuris & à Deo præuisis. Similiter illud, non ex operibus, solis supplè, sed, & quidem præcipue, ex vocante, id est, ex vocatione & gratia. Cui expositioni fauent primò multa ex historia sacra; quæ ostendunt Idumæos propter peccata seruasse Iudæis, vt & nunc Iudæi seruiunt Christianis: licet ex mera Dei voluntate prius potuerit prælatio illa, & differentia inter Iudæos & Idumæos, vt supra diximus.

Fauet secundò conclusio totius discursus Apostoli v. 30. *Quid ergo dicemus? quòd gentes quæ non se habebantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem quæ ex fide est, id est, credendo in Christum, Israël verò scitendo legem iustitiæ Mosaicæ, illique nimis adhærendo & præsidendo, in legem iustitiæ Christi non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis. Quibus verbis Apostolus tribuit gentiliùm acceptationem, ipsorum fidei in Christum: & Iudæorum reiectionem, ipsorum infidelitatis erga Christum, & præsentis in operibus legis Mosaicæ: non autem Dei decreto antecedenti, efficaci & absoluto ante præuisionem operum. Nam alioquin debebat sic concludere: *Quid ergo dicemus, nisi debuisse necessariò & infallibiliter impleri decretum Dei antecedens, absolutum & efficax? Illud enim fuisset vera & prima causa, & sola principalis & prædominans, maxime quæ consideranda: ac proinde primò & præcipue reddenda ab Apostolo: quippe ex qua reliqua sequuntur necessariò, cuiusque reliquæ causæ tantum famulantur, & subserviunt efficaci illius directioni, vt notauimus nu. 66.**

Fauet tertio, quòd vt rectè notat Cornelius can. 1. in Paulum, Spiritus Pauli sublimis, & acer, ita fertur in partem in quam inclinat, & in seipsum sibi propositum (qualis hic erat ostendere Dei vocationem gratuitam ad fidem Christi, contra Iudæos præfidentes legi Mosaicæ, & propagini Abrahæ) vt in extrema declinare videatur, alteriusque extremi negare. Sic Rom. 3. & Hebræor. 11. videtur omnia tribuere fidei: Et contra 1. Cor. 13. videtur omnia tribuere charitati, & sine illa cætera nihil esse. Cum tamen vtraque ad salutem valeat, & necessaria sit: verumque sit id quod idem Apost. scribit ad Galat. 5. v. 6. *In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.*

Fauet quartò, quòd Paulo scribenti ad Romanos propositum fuerit inter alia, dissimulare vtrunque, & tegere improbitatem Iudæorum, quos Romani despiciebant. Ac quemadmodum Genes. vlt. Ioseph, dissimulando vtrunque malitiam fratrum suorum, recurtebat ad voluntatem Dei, quæ non fuerat circa peccatum illorum nisi permissiua

& consequens: sic Paulus ad Romanos, vt dissimularet improbitatem Iudæorum & ab ea oculos Romanorum auerteret, transferebat cogitationem eorum ad permissionem diuinam, de qua obscure & inuoluntè loquebatur.

Per hæc facile soluitur præcipua obiectio eorum, qui contra hanc secundam expositionem vim faciunt in anti thesi Pauli, non ex operibus, sed ex vocante. Cui similis est altera, similique modo explicanda, *Non est volentis, tantum supplè, neque currentis, sed & præcipue miserentis Dei.* Nam vt ait Chrysostomus, homil. 11. in epistolam ad Hebræos, quia quod est amplius, à Deo est, totum ei adscribit: Vt nos totam victoriam Regi, aut exercitibus Imperatori tribuimus, quamuis milites ad illam concurrerint. Potest etiam particula, non, ibi summi comparatiuè, phrasi Hebraicæ: vt cum dicitur Osee 6. v. 8. & Matthæi 9. v. 13. *Misererentiam volo, & non sacrificium*, id est, plus quam sacrificium: cui expositioni fauet Origenes lib. 7. in Epistolam ad Romanos, explicans illud Pauli, *Non est volentis, neque currentis, &c.* Illud autem, vt secundum electionem propositum Dei maneret, intelligi potest de electione facta ex præuisione operum, & de proposito manente firmiter in illa electione. Cætera iuxta eandem expositionem de habita ratione aliqua operum, siue in miserendo, siue in indurando, facilem sensum habent, & ad intentum Pauli, verum præcipue 30. expositum, valde accommodata sunt. Videri potest Chrysostomus in hoc caput 9. epistolæ ad Romanos, vbi sensum literalem optime de more assequitur.

## SECTIO VIII.

Solutio obiectio-  
rum ex Patribus.

Contra eandem sententiam obiciuntur multa Sanctorum Patrum testimonia, quæ congerit & expendit fuffissimè Didacus Ruis dif. 10. & 11. de prædestinatione. Quoniã autè longum & molestum esset omnia recensere, & pleraque factam explicationem habent: sat erit respondere præcipuis, ex Augustino potissimè desumptis.

Primum igitur sit illud Cyrilli Alexandrini lib. 10. in Ioannem cap. 24. *Ego elegi vos, non vos me. Ego me notum vobis ignoranti- bus, sed humanitate clementique commotus. Ego vos ad eò roboravi, vt procedere progredique ad tantam cum Deo fiduciam possitis, vt quodcumque petieritis in nomine meo, vobis concedatur.* In quibus verbis perpendunt 1. electionem Dei præcedere, quæ sit causa cuiusque virtutis in homine prædestinato. 2. Hinc provenire vim imperandi in oratione. 3. Hanc gratiam collatam esse à Deo sine præcedentibus meritis, sola Dei benignitate & clementia.

Respondeo Cyrillum non ibi loqui de omnibus prædestinatis, sed de discipulis 10.



lis, siue Apostolis, de que illorum electione ad Apostolatam, vt ex verbis sequentibus eodem capite manifestum est. Quos ait fuisse a Christo electos, & sui cognitione instructos, & fiducia magna roboratos ipsius clementia & humanitate. Quae omnia vera sunt, & optime constant, sine antecedenti electione efficaci ad gloriam, siue Apostolorum, siue aliorum praedestinatorum. Adde quod tunc Iudas erat inter discipulos & Apostolos, de quo haec omnia dicta fuerunt, vt de aliis Apostolis: & tamen non erat antecederet electus efficaciter ad gloriam: imò neque consequenter, defectu cooperationis & perseverantiae.

111. Chrysof.

Secundum est illud Chrysofomi hom. 54. in Matthaeum paulo post Medium: Quos ante constitutionem mundi suos esse cognoscit, tanquam eos laboribus onerat, & tandem laborare facit, donec digni efficiantur regno caelesti.

Respondeo primò, hunc locum non esse Chrysofomi, sed auctoris operis imperfecti in Matthaeum. Secundò, haec omnia posse facile intelligi de praescientia & electione efficaci consequente, facta ab aeterno, quam in tempore sequitur executio. Ita vt non significetur causalitas praescientiae, & electionis efficaciis, ad labrum impositionem, donec digni efficiantur regno caelesti: sed simplex consecutio temporis, & executio eius quod Deus ab aeterno futurum esse prauidit & approbavit, ac propter hoc elegit efficaciter.

112.

Tertium est illud veri Chrysofomi homil. 4. de laudibus Pauli initio: Concede incomprehensibili Dei providentiae salutem hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinari. Et homil. 31. in Matthaeum. Nam qui corda scrutatur, & occulta mentium perspicit: is etiam quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit. Ergo Deus quos vult efficaciter saluat per opportuna media. Et homil. 8. in epistolam ad Philippenses. Deus vult nos secundum suam voluntatem vivere: si autem vult, agit nos ad hoc. Ipse illud omnino operabitur. Vbi notant Chrysofomum non id dicere de voluntate generali, & communi omnibus hominibus, secundum quam vult omnes bene vivere: sed de speciali circa electos, quae efficaciter vult eos recte vivere, & ad hoc ipsos agit infallibiliter, illudque omnino operatur. Ergo Chrysofomus agnoscit in Deo specialem electionem efficacem, eamque antecedentem, quandoquidem est causa bonorum operum.

113.

Ad primum & secundum Respondeo Chrysofomum in priori testimonio loqui de vocatione D. Pauli. In posteriori, de vocatione SS. Petri, Ioannis, Matthaei, & Pauli, quos licet Deus vocaverit ad Apostolatam tempore opportuno, & quo nouerat esse paratos ad consentiendum vocationi: non sequitur quòd antecedenti voluntate elegerit illos efficaciter ad gloriam, ante prauidionem consensus & bonorum operum, quòdque ex tali electione processerit illa

vocatio. Nam de Iudae vocatione Chrysofomus idem dicere poterat. Similiter licet Deus salutem hominum notis sibi temporum opportunitatibus ordinet, vocando eo tempore, quo opportunum est vocare: non sequitur, quòd efficaciter decreuerit dare salutem, non prauidio ratione prius quòd creatura sua malitia vel negligentia non sit frustratura vocationes, quamuis opportunas. Quae consequentia aduersariorum non habet sufficiens fundamentum in verbis D. Chrysofomi. Ad tertium eius testimonium Respondeo, loqui de voluntate generali, quae Deus vult omnes seruare sua mandata: & ad hoc ipse nos agit, id est, mouet & excitat suis inspirationibus a suisque auxiliis. Ipseque illud omnino operabitur, si nos velimus cooperari, ac nisi per nos stet.

114.

Quartum est D. Augustini libro de correptione & gratia cap. 7. vbi Augustinus sic habet: Quicumque ab illa originali damnatione, ista diuinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium quòd & procureretur eis audiendum Evangelium: & cum audiunt, credunt: & in fide quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant: & si quando exorbitant, correpti emendantur. Et paulò post: Haec omnia operatur in eis qui vasa misericordiae operatus est eos. Qui elegit eos in filio suo, ante constitutionem mundi, per electionem gratia si autem gratia iam non ex operibus. Alioqui gratia iam non est gratia. Ex quibus Augustini verbis colligunt Aduersarij ipsum indubitante, se esse homines praedestinos fuisse electos efficaciter ad gloriam ante & citra prauidionem meritorum. Iuxtaque illius mentem hunc ordinem esse statuendum in decreto diuinae voluntatis, vt in primo instanti rationis fuerint prauidio omnes homines in massa perditionis. In secundo, Deus aliquos illorum, id est, omnes praedestinos separauit ex hac massa, gratuita & efficaci electione ad gloriam. In tertio, elegerit media per quae infallibiliter perduceretur ad finem destinatum. Elegerit, inquam, vt praecedentis separationis, quae illam adiecit ad eligenda media congrua & efficacia. Ad quod probandum notat Suar. lib. j. de praedest. cap. 8. num. 36. & in opuscul. lib. 3. de auxilijs cap. 16. num. ij. Augustinum ibi loqui de electione ad gloriam, de qua postea subiicit: Electi sunt ad regnandum cum Christo. Et loqui de electione antecedenti, & efficaci. Antecedenti quidem, quia dicit hanc electionem, & discretionem gratiae, factam esse ex gratia, non ex operibus. Efficaci vero, quia dicit discretionem illam & electionem esse causam cur eis procureretur vt audiant Evangelium: & cum audiunt, credant: & in fide & charitate usque in finem perseverent: & si exorbitant, correpti emendantur. Et in eodem capite postea dicit, ex vi huius discretionis, & voluntatis diuinae, conferri electis perseverantiae donum infallibiliter. Nam horum, inquit, si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vici-

Ostenditur D. Augustinus non fuisse in contraria sententia.

TINO  
US  
part.



*citur Deus. Sed nemo eorum perit: quia nulla re vincitur Deus.*

115. Ad hæc Respondeo priora verba D. Augustini posse facillè intelligi in sensu purè concomitanti, & nõ causali, quem volunt aduersarij: id est, quòd illis qui sunt efficaciter electi ad gloriam, re ipsa procuretur audientium Euang. olium: & cum audiunt, credunt: & in fide, quæ per dilectionem operatur, vique in finem perseverant: & si aliquando exorbiant, correpti emendantur. Quamuis discretio & electio efficacax non sit causa cur hæc omnia fiant. Sed potius electio fuerit efficacax, quia Deus præciuit hæc omnia futura. Neque propterea hæc discretio & electio nõ est gratia. Est enim puræ gratiæ respectu primæ vocacionis, ex qua reliqua sequuntur vt ex radice: & de cæteris non est ex naturæ operibus, id est, factis solis naturæ viribus, vt volebant Pelagiani: sed ex operibus gratiæ. Quicquid autem Deus pro gratiæ operibus retribuit, rectè gratia esse & gratis donari dicitur, inquit Fulgentius S. Augustini discipulus & defensor lib. 1. ad Monimum cap. 10. & 11. Hanc verò esse mentem D. Augustini confirmabit amplius sequens responsio.

116. Ad posteriora enim eiusdem S. Doctoris verba Respondeo cum Lessio sect. 4. nu. 43. quòd ait, non ex operibus, &c. non excludere opera gratiæ prout ex gratia sunt facta: sed opera naturæ, atque etiam fortè opera gratiæ præcisè spectatæ prout ex nobis sunt, seclusa alia Consideratione quòd fiat ex gratia. Vt sic enim non essent digna tanto beneficio. Hunc esse verum D. Augustini sensum probo primo, quia eo in locis & aliis similibus, disputat contra Pelagianos, quorum hæres in eo non erat, quòd putarent gloriam dari propter opera gratiæ, sed quòd dicerent illam dari propter opera facta solis viribus naturæ, vt manifestè patet ex verbis eiusdem Augustini lib. de grat. & lib. arbit. cap. 6. vbi exponens illud 1. Timoth. 2. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: subiungit, Cui redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista corona iustitiæ, si non præcessisset gratia quæ iustificat impium? Quomodo ista debita redderentur, si non prius illa gratuita donaretur? Sed cum dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, quæ hominibus peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in fine, id est, æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi. Respondendum est eis. si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant: propterea rectè respondet Apostolus, Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, dona sua conat Deus, non merita tua; si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc Augustinus.

D. August. non excludit opera gratiæ.

Ex quibus apertè liquet eius intentionem tantum esse docere perseverantiam & electionem efficacem ad gloriam, signè esse ex operibus naturæ, sed ex gratia & operibus gratiæ.

Probat ur secundò ex altero loco eiusdem August. serm. 7. de verbis Domini vbi sic habet: In hoc capitulo hoc discimus quoniam quos voluit Dominus, elegit autem, vt dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam. Et paulò post, explicans illud Apostoli Rom. 11. Reliquia secundum electionem gratiæ saluæ facta sunt, quo loco alludatur ad illud 3. Reg. 19. Reliqui mihi spiritum millia virorum, qui non curauerunt genu ante Baal; sic ait: Quid est, reliqui mihi? Ego eos elegi, quia videntes eorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal. Non sunt mutati. Sic sunt vt à me facti sunt. Et tu qui loqueris, nisi de me præsumeres? vbi esses? Quibus verbis asserit manifestè electos esse eos qui saluati sunt, quia vidit Deus mentes eorum de se præsumentes: id est, quia vidit bona eorum opera ex gratia sua facta, non ex solis viribus liberi arbitrij. Vnde vt ostendat operum meritum esse gratiæ tribuendum, vt radici & præcipue causæ, subiungit, Causa Christiane, causa superbiæ, &c.

Probat ur tertio, quia D. Augustinus locis citatis in obiectione, & aliis similibus, non modo loquitur de ordine electionis, sed & de ordine executionis. Nam loquitur de eodem ordine, de quo Apostolus quem citat & exponit. Apostolus autem loquitur etiam de ordine executionis, cum ait: si autem gratiam non ex operibus. Et, Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti, &c. Vult enim Paulus docere his verbis, Deum non modo gratis intendisse hæc nobis donare: sed etiam gratis conferre: id est, quare non esse quare de illis gloriemur, quasi nostrâ operâ, id est, virtute naturali acquisitis. Imò neque D. Augustinus, neque Apostolus, neque Scriptura docent vpiam Deum aliter intendisse efficaciter dare nobis sua beneficia, quam re ipsa det in executione. Atqui certum est, & de fide, haberi rationem operum gratiæ in executione: & ipsam iustificationem, augmentum gratiæ, & gloriam atque augmentum gloriæ, dari nobis propter bona opera facta cum Dei gratia, vt docet Trid. sess. 6. cap. 7. 10. 16. & can. 3. & Iacobus Apostolus cap. 2. sua Catholica v. 24. & Matt. 25. v. 25. & Ezech. 18. v. 25. sequent. Ergo euidentis est D. Augustinum verbis citatis in obiectione non excludere opera gratiæ. Neque enim Scriptura contradicit, neque doctrinæ fidei, neque sibi ipsi apertè eam tradenti verbis relatis paulò ante, ex serm. 7. de verbis Domini, & ex cap. 6. lib. de grat. & libero arbit. Quibus addit eiusdem verba epist. 106. vbi sic habet: Quis nos, nisi qui venit querere & saluum facere qui perierat, ab illa perditionis massa & concretionem discernit? Vnde Apostolus interrogat dicens, Quis te discernit? vbi se dixerit homo, si est mea, voluntas mea, bonum opus meum: respon-



detur ei: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti? Hoc utique totum idem non ut homo non gloriatur: sed ut qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Non quia bona opera ista pia cogitatione frustrantur: cum Deus reddat unicuique secundum opera eius: sicut gloria et honor et pax omni operanti bonum. Sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia. Huc vsque D. August.

119. Probatur quartò, quia idem sanctus Doctor lib. de bono perseverantia cap. 18. 19. & 23. ait suam sententiam hac de re esse de fide, & conformem esse antiquis Patribus. Atqui neque ipse existimavit esse de fide Deum elegisse efficaciter ad gloriam ante prævisionem operum gratia, neque propter hoc Pelagianos unquam damnavit, sed tantum quia recurrerant ad opera naturæ, ut causas & merita vitæ æternæ, quemadmodum vidimus esse ipsius verbis num. 116. Neque etiam reipsa id de fide est, ut fatentur præcipui adversariorum, Suarez in opuse. lib. 3. de auxil. cap. 16. num. 8. & lib. 1. de prædestinat. cap. 8. & Didacus Ruis disp. 10. de prædestinat. sect. 8. num. 2. Concludo itaque S. Augustinum verbis relatis in objectione nihil aliud intendere, quam illud quod de fide est, & sapius contra Pelagianos ac Semipelagianos ab Ecclesia definitum, electionem totaliter sumptam, prout in ea includitur gratia primæ vocationis, & auxiliū cooperans ad elicendum consensum illi datū, non esse ex meritis: quia opera naturalia, quæ sola possunt gratiam primæ vocationis præcedere, non possunt eam mereri. Itemque reliqua bona opera ad salutem conductentia, ipsamque perseverantiam, non esse ex nobis, id est, nostri arbitrij viribus naturalibus; sed esse ex pura gratia vocationis originaliter, & ex auxilio gratiæ eleuante ad credendum sicut oportet, & ad reliqua opera supra naturalia: quæ ideo non sunt ita nostra merita, ut non sint etiam Dei dona, habentia quicquid habent meriti à gratia. Ac denique discretionem efficacem ex massa perditionis esse ex gratia, modo iam explicato, & non ex nudis liberi arbitrij viribus, sine gratia vocationis, aliisque auxiliis iuvantibus ad bene operandum & perseverandum vsque in finem.

120. Quintum testimonium contra nostram sententiam sumitur ex eodem August. lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 17. 18. & 19. vbi fuse probat electionem fuisse factam non ex meritis præiis, sed ex mera voluntate Dei, iuxta illud Ioan. 15. Non vos me elegistis sed ego elegi vos. Et I. p. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. Et epist. 106. refellit asserentes discretos fuisse bonos à massa perditionis ex operibus, propter illud 1. Cor. 4. Quis te discernit? Nam per electionem certum est hominem discerni. Quare si illa electio est ex operibus, possent electi respondere, opera mea me discernunt. Denique quod hæc fue-

tit D. Augustini sententia, aiunt adversarij constare ex duabus epistolis Hilarij Arelatensis & Prosperij Rhegiensis, quæ habentur inter libros D. Augustini tom. 7. ante librum de prædestinatione Sanctorum. Ex quibus etiam liqueat opinionem D. Augustini male fuisse receptam à Massiliensibus, & aliis Gallicanis & Africanis Episcopis, quod eam libero arbitrio necessitatem inferre existimarent, aut desperationem, & teporem bene operandi inducere.

121. Respondeo D. August. priore loco agere de electione ad primam gratiam, quam non esse ex meritis præcedentibus in effectu aut in prævisione, certum est, & ab Ecclesia sapius definitum contra errorem Pelagianorum & Semipelagianorum. Verba Augustini lib. citato de prædestinat. Sanctorum cap. 17. hæc sunt: *ut intelligamus vocationem quæ sunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. Hanc enim Dominus satis aperit, ubi dicit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Quibus verbis perspicuum est loqui D. Augustin. de electione ad gratiam, quam vult esse omnino sine meritis, contra Pelagianos & Semipelagianos. Quod idem colligit cap. 18. & 19. ex verbis illis Ephef. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti &c.* Posteriori autem loco sermo est vel de vocatione ad primam gratiam: vel potius de operibus naturæ, ut supra ad quartum testimonium responsum fuit. Iustus autem interrogatus, Quis te discernit? Si sermo sit de iustificatione, aut glorificatione, facta mediante ipsius cooperatione, ut adultis fit, respondere potest cum Apostolo, *Non ego, sed gratia Dei meum.* Non ipse solis naturæ viribus, sed cooperatione præcipue per gratiam facta. Quod ipsum affirmat S. Augustin. citata epistola 106. verbis supra relatis num. 118.

122. Ex epistolis verdè Prosperij, & Hilarij, nihil amplius constat, quam quod supra dictum est de mente & scopo D. Augustini contra Pelagianos, vel etiam contra Massilienses Semipelagianos, qui Augustini sententiam ideo non probarunt, quod vellet electionem ad gratiam, etiam primæ vocationis, habere initium ex nobis: ut ex iisdem epistolis, & Cassiani Martini notum est. Addo D. August. à plerisque tunc male intellectum fuisse, ut patet ex Gallorum excerptis, & objectionibus Vincentianis. Quod minus mirum videri debet, cum à plerisque ne nunc quidem rectè intelligatur.

123. Sextum testimonium sumitur ex libro de bono perseverant. cap. 9. vbi agens de speciali Dei providentia erga prædestinatos, & rationem differentia quærens cur Deus ita favorabiliter se gerat cum prædestinatis, non cum aliis: nihil aliud respondet, quam iudicia Dei esse inscrutabilia, & totum hoc ab electione & proposito Dei pendere. Quia scilicet Deus hunc elegit efficaciter, & non illum: & ideo huic præparavit talem providendi modum, & non illi. Verba illius hæc



*Sunt: Ex duobus itaque parvulis originali peccato obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus etate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur: ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur: inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent utique nobiscum. Deinde exponens quid illud significet, quod ait Ioannes Apostolus epistola 1. cap. 2. Non erant ex nobis: subiungit: Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati. Non erant in Christo electi quæ constitutionem mundi. Non erant in eo sortem consecuti. Non erant prædestinati secundum propositum eius qui vniversa operatur. Nam si hoc essent: ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent. Vt enim non dicam quàm sit possibile Deo, auersas, & aduersas, in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari ut nullis aduersitatibus cedant, nec ab ipso, aliqua subtrati tentatione, discedant, cum possit, quod ait Apostolus, facere ut non eos permittat tentari supra id quod possunt. Vt ergo non id dicam, certe poterat Deus prædestinis esse lapsuros, antequam fieret, auferre de vita. Quibus verbis aiunt aperte radi ab Augusti, quod Deus per intentionem absolutam, & efficaciam decretum, causet vocationes congruas, & perseverantiam vel mortem in statu gratiæ: quodque illa causalitas procedat ex prædestinatione seu electione efficaci & antecedenti, quippe quæ est causa cui Deus procuret infallibiliter vocationes congruas, & perseverantiam, vel decessum ex hac vita in gratia.*

124

Propter quid recur-  
rendum sit  
ad instru-  
tabile Dei  
iudicium in  
prædesti-  
nationis  
negotio?

*Respondeo ad inscrutabilia Dei iudicia referendum esse, cur Deus, potens eligere quam seriem, in qua præsciebat fore ut parvulus iste baptizaretur, & iste in pius ita vocetur, ut vocantem sequeretur, & iste pius usque in finem perseveraret: istam tamen elegit in qua contrariam euenit, non ex Dei decreto efficaci, & antecedenti, quo hos reiecerit, & alios elegerit; sed ex hominum voluntate non cooperantium sincero Dei desiderio, & auxiliis ac mediis sibi oblatis pro salute propria, & pro salute aliorum, præsertim paruulorum, quorum salus fuit ipsis commissa. Quod si istes, hac ex parte rationem aliquam reddi posse, cur hic parvulus non baptizetur, & hic impius non ita vocetur ut sequatur, & iste pius non perseveret; nempe hominum negligentiam, aut malam voluntatem. Respondeo similiter in sententia aduersariorum multò facilius rationem siue causam, illi posse eiusdem rei: nempe decretum Dei antecedens absolutum & efficaciam, quod impleri necesse est. Vnde ut bene aduertit S. Bonauent. in 1. dist. 41. art. 1. questione 2. non erunt occulta & inscrutabilia Dei iudicia, cur istum vocet & con-*

*uertat, atque ad bonum statum finalem perducat, si ponatur electio antecedens & efficax, ex qua hæc omnia sequuntur necessitè. Ex alia verò parte, sicut non potest reddi ratio in sententia aduersariorum, præter inscrutabilia Dei iudicia, cur hos præ aliis elegerit antecedenter & efficaciter: ita in nostra reddi nequit ratio alia cur hanc ferienterum elegerit, præ alia, in qua media profuissent iis, quibus nunc profunt: & non profuissent iis, quibus nunc profunt. Posita verò electione istius seriei, potest aliqua reddi ratio cur iste infans non baptizetur, nempe potentium impicitas, vel negligentiam, vel malitia occidentis antequam baptizetur, ut non raro contingit. Quamquam D. Augustinus noluit ad istas rationes inuestigandas animum adicere: quia propositum illi erat dumtaxat Pelagianorum errorem refellere, qui differentiam illam paruulorum referebant ad bona illorum opera conditionate futura si diutius vixissent. Similiterque cur iste impius non couertatur, & iste pius non perseveret, ratio aliqua est ex parte ipsorum: quia scilicet libere non volunt cooperari Dei vocationi, & auxiliis datis ad perseverandum. Communiter quoque dantur vocationes accommodatè ad cursum rerum ordinarium, & prouidentiam generalem, vt dicemus sect. sequenti.*

*Qui autem non perseverant, non sunt ex nobis, id est, in sensu D. Augustini, non sunt ex efficaciter electis & prædestinatis, consequenter tamen, post præuisionem boni status finalis. Quia si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum: id est, si fuissent prædestinati & electi efficaciter præuiso bono statu finali, perseverassent usque in finem. Nam in sensu composito, non potest non esse, id quod Deus præuidit futurum esse. Sicut non potest non fieri, id quod prædixit factum iri, stante hypothese prædictionis. Quamuis causa cur fiat, non sit quia Deus prædixit, sed potius prædixerit, quia futurum erat ut fieret. Denique etiam dici potest, quod exiit quia non erant ex nobis. Ita tamen ut particula, quia, nõ significet causam, sed correspondentiam euentus cum Dei prædictione, in qua fundata est eorum reprobatio.*

*Idem quoque non erant vocati secundum propositum, id est, in sensu Augustini, secundum propositum eos saluandi, esse ex quidem & absolutum, sed consequenter ad præuisionem boni status finalis: secundum, inquam, propositum illud tempore antecedens, seu prius æterna duratione, & in tempore mandatum executioni, cum Deus eos vocat, & iuuat iis auxiliis, quibus præuidit propositum illud esse implendum, tanquam causis vel conditionibus, in quibus fundatur quatenus efficaciam, & quatenus efficaciter secreuit illos à reprobis. Ita ut particula, secundum propositum, non significet antecedentem causalitatis, quasi electio efficaciam fuerit causa cur perseverent infallibiliter. Sed tantum significet antecedentem temporis, & tempora-*



neam executionem ad propositum illud impleendum per positionem effectus ab æterno præfinitis, & propter cuius præuisionem electio de conditionata & inefficaci transiit in absolutam & efficacem.

127.

Contra hoc tamen difficultatem faciunt verba D. Augusti, quæ sequuntur: *vt enim non dicam* &c. Videtur enim dicere propositum illud esse causam cur Deus sic electis prouideat vt infallibiliter conuertantur, aut perseuerent & bene finiant: quodque si alij subiacerent eidem proposito, Deus applicaret illis media, quibus saluarentur infallibiliter, quippe quæ non desunt eius omnipotentia. Sed respondeo sensum D. Augustini esse, nullam voluntatis humanæ malitiam, aut aduersitatem vel tentationum violentiam, impedituram esse, aut impedire posse in sensu cõposito, ne conuertantur & bene finiãt illi omnes quibus Deus parauit media, per quæ fore præuidit vt conuertentur & bene finiãt. Quæ media non desunt eius omnipotentia, ideoq; possunt à Deo suppeditari quibus uolet; quamuis non suppeditentur ex electione antecedenti efficaci & absoluta vt uolunt aduersarij: sed solum ex fingero desiderio salutis, parato tamen permittere oppositum humanæ libertati, si uellet medijs non uti vel abati. Sed si esset non usura, vel abusura: non essent illi ex nobis, id est, non subiacerent illi proposito diuino efficaci, consequenti præuisionem boni usus.

128.

Si illa fuit sententia D. Augusti non fuit ab Ecclesia approbata.

Adde quamuis S. Augustinus foret in sententia aduersariorum, quod non puto: non propterea necessario sequendam esse, & præferendam communi sensui Sanctorum Patrum Græcorum, & Latinorum, qui ipsum præcæserunt. Falluntur enim (vt fatetur Didacus Ruis, quamquam acer defensor illius sententia, disp. 10. sect. 1. num. 2. & sequentibus) qui putant Leonem magnum, & ex eius præscripto Araucanum secundum, deinde quæ Cælestinum, ac postremo Gelasium, approbasse & definituisse sententiam Augustini de electione efficaci ad gloriam independerem à præuisis operibus gratiæ. Qui putant, inquam, Cælestinum primum, summum Pontificem, sententiam nostram damnasse in epist. 1. ad Episcopos Gallia, postquam laudauit S. Augustinum contra nos sententem, vt Magistrum optimum, nunquam rumore etiam sinistra suspitione aspersum. Itaq; Leonem primum idem definiti iussisse ab Araucano II. vt cõstare aiunt ex varijs huius Concilij canonibus. Ac denique Gelasium Papam cum 70. Episcopis, damnasse libros Cassiani & Fausti Rhegiensis, quia contra sententiam Augustini de prædestinatione scriptos, & contrario libros Augustini, Prosperi, & Hilarij contrarium docentes, approbasse. Falluntur, inquam, nam Cælestinus loco citato non approbat doctrinam S. Augustini, nisi quantum ad hoc, quod ex viribus nature solis, sine auxilio gratiæ, nullum detur initium fidei & iustificationis. Imò in fine epistolæ citatæ capite 9. ait se tantum definite sequenda quæ dixit Tomus I.

contra errorem Pelagianorum, & Semipelagianorum, de gratia vt sequente opera nostra; ac nature viribus promerita; & aliano nulla, quæ Cælestinus ibidem exprimit, in quibus nihil de electione antecedenti & efficaci ad gloriam; non autem inefficacioribus, & profundiore quæstiones intermixtas ab illis qui supradictos hereticos impugnaverunt. Quod velim diligenter notent, qui nunc temporis auctoritate D. Augustini abutiuntur.

129.

Nihil quoque aliud definitur in canonibus Conciliorum Araucani secundi, Mileuitani, & Palestini, seu Diospolitani. Neq; aliud approbauit Gelasius contra doctrinam Cassiani, & Fausti, qui gratiam nature pedisse quam faciebant. Petrus quoq; Diaconus in lib. de Incarnat. cap. 3. qui habetur inter opera Fulgentij, ait Faustum Rhegiensem scripsisse libros suos contra sententiam Augustini de prædestinatione Sanctorum. Et tamen illius errorem hunc tantum esse ait, quod humano labori subiungit gratiæ adiutorium. Estq; aduertendum quod ubi cunq; S. Augustinus, aut Fulgentius, Prosper, & Hilarius, eius discipuli, vel Concilia Araucanum, Mileuitanum, & alia, docent prædestinationem non esse ex meritis; eodem modo docent glorificationem non esse ex meritis. Et tamen est de fide glorificationem esse ex meritis gratiæ.

130.

Refellit calumnia sem pelagianismi.

Quare non minus inepte obijciunt aliqui nostram sententiam non differre à Semipelagiana quam (inquunt) Massilienses eodẽ plane modo declarasse uidentur, vt refert Prosper in epist. ad S. Augustin. Respondeo enim euidenter constare legenti attentè epistolam Prosperi, Semipelagianos locutos esse de meritis omnem gratiam præcedentibus. Priorem (inquit Prosper) uolunt esse obedientiam (naturalem) quam gratiam: vt initium salutis ex eo qui saluatur, non ex cõcedendum sit stare qui saluat. Similique modo Massiliensium Semipelagianorum sententiam explicat Hilarius in epistola citata ad Augustin. quæ habetur tom. 7. eius operum, ante libro de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseueratiæ, huius epistolæ occasione scriptos.

131.

Malè quoque addit Ruis disp. 16. sect. 1. in fine, his non obstantibus magnam electioni antecedenti & efficaci ad gloriam conciliari auctoritatem, ex eo quod hæc doctrina sit ad eodẽ finitima doctrinæ dei confirmatæ Summis illis Pontificibus, vt Augustinus quoties contra Pelagianos vel Semipelagianos excludit iustificationis initium ex viribus nature, toties ad hoc explicandum & probandum, recurrit ad electionem factam ante præuisa opera quæcunq; siue naturalia, siue supernaturalia. Primum enim, malè assumit Augustinum eodẽ recurrere. Secundò, quamuis eodẽ recurreret, id potius faceret astu quodam disputationis, quam connexionem vnus cum alio. Euidens enim est veritatem Catholicam, definitam contra Pelagianos & Semipelagianos, quod gratia non detur ex viribus nature, nullo modo pendere, sed plane disparatam esse, à doctrina asserente

INO  
US  
part  
VI



electionem ad gloriam efficacem, factam esse ante præuisionem operum. Quare sapientius Suar. in opusc. lib. 3. de auxili. cap. 16. num. 8. ait sententiam nostram esse reuerà probabilem, & nihil inuoluerè, quod aliqua ex parte ad errorem Pelagii aecedat.

Suarez.

## S E C T I O IX.

Solutio argumentorum ex ratione.

132.

Contra eandem sententiam Bellarmin. lib. 2. de grat. & libero arbit. cap. 12. opponit has rationes, non ex sola inquit speculatione nostra, sed et ipsius sacrarum literarum, & traditionis Ecclesiasticae fontibus deriuatas.

Primum argumenti Bellarmini Contra nostram sententiam.

Prima ratio: Sine fide nemo saluari potest: *Qui enim non crediderit condemnabitur*, Marci ultim. Fides autem Dei donum est, quod non omnibus datur, sed iis tantum quibus eam Deus donare voluerit, Philippens. 1. vers. 29. Igitur soli illi saluamur, quos Deus gratis saluari decreuerit. Atque ita vera est sententia de gratuita prædestinatione diuina.

133.

Respondeo fidem esse donum Dei, quod Deus, quantum est ex se, omnibus dare vult, vt asseruit Apostolus 1. Timoth. 2. vers. 4. non datur tamen omnibus; sed iis quibus non d. est conditio requisita ex parte nostra; sacramentum scilicet, validè applicatum, si loquamur de paruulis: vel consensus diuinae uocationis, si loquamur de adultis. Ac sicut Deus non decreuit dare gloriam efficaciter & absolute, nisi præuisis operibus, vel aliis conditionibus, & bono exitu à uita: ita neque decreuit efficaciter & absolute vlli fidem infundere, nisi præuiso consensu, vel sacramenti applicatione. Quare voluntas efficax & absoluta, seu fidei danda, seu gloria, non est ante præuisionem operum, vel conditionum necessariorum. Dico igitur fidem esse quidem donum Dei: non tamen eiusmodi vt detur sine vlla conditione præuisionis, pendente à nostra libertate: quæ si ponatur, Deus infundit fidem. Secus, non nec vult infundere efficaciter & absolute nisi eam præuisa. Adde scilicet non ita esse donum Dei, vt non cadat sub merito de condigno, si de augmento sermo sit, æquè ac gratia augmentum & gloria ex Tridentinò sess. 6. cap. 16. & can. 32. Et nihilominus hæc omnia sunt Dei dona, tum ratione uocationis & præuisionis gratuita: tum in radice fidei & gratia primæ sanctificantis, in fusa sine meritis de condigno, licet non sine præuisionis consensu in adultis, & in quo merito de congruo: tum denum quia quacunquè ex parte nostra ad ea promouenda valere de congruo, vel de condigno, non ita sunt bona ipsius iustificati merita, quin sint etiam Dei dona, vt ait Trident. can. cit.

Quomodo fides sit donum Dei.

Respondeo primò perseuerantiam, si proprie sumatur pro statu duraturo in gratia, non esse necessariam, & communem iis omnibus qui saluantur, vt non bene supponit Bellarmin. & non satis efficaciter probat ex verbis Christi, Matth. 10. Potest enim quis statim atque iustificatus est mori, qui tamen saluabitur citra perseuerantiam proprie dictam. Et affirmare quod saluus erit quisquis perseuerauerit; non est negare non fore saluum eum qui non perseuerauerit, quamuis aliter in gratia Dei mortuus sit. Respondeo secundò, perseuerantiam non ita esse donum Dei, vt ab illo solo pendeat sine vlla nostra cooperatione libera: quemadmodum primæ uocationes dantur nobis absque nostro consensu libero; Deus enim illas in nobis sine nobis operatur: sed omnino quòd perseuerantis pendet à nostro consensu libero ad obediendum omnibus grauibus Dei mandatis, & ad resistendum constanter omnibus occasionibus mortaliter peccandi. Tertio, dico, vt perseuerantia dicatur donum Dei gratuitum non ex meritis, non esse necessarium vt sit decreta ante præuisionem operum, neque vt detur citra conditiones ex parte perseuerantis. Quemadmodum & fides non primò infunditur adultis citra consensum, quamuis detur citra meritum.

In forma itaque ad argumentum Respondens distinguendo extremam partem minoris propositionis: *Fides non datur nisi iis, quibus eam Deus donare voluerit*, voluntate efficaci & absoluta, antecedente præuisionem operis, vel conditionis necessariorum: nego. Còsequenter ad illius præuisionem, concedo. Et similiter distinguo consequens: *illi soli saluantur, quos Deus gratis saluari decreuerit*, decreto efficaci & absoluto antecedente præuisionem supra dictam, nego. Consequenti, & tamen gratuito, modò supra explicato, concedo. Atque ita vera est sententia de gratuita prædestinatione diuina, non antecedenter efficaci & absoluta, sed consequenter ad præuisionem operum, vel conditionis necessariorum ex parte saluandi. Contra quod nihil faciunt quæ prosequitur Bellarmin. ex Scriptura, ad impugnandam hanc responsionem, quorum solutio facilis est ex dictis tota sectione septima.

Secunda ratio: Sine perseuerantia nemo saluari potest: *Qui enim perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit*, Matth. 10. At perseuerantia donum Dei est, quod non datur ex meritis, sed ex gratia. Et quamuis omnes iusti, perseuerare possint si velint; tamen soli illi perseuerant, qui habent hoc donum perseuerandi usque in finem. Ac proinde salus, & prædestinatio ad salutem, ex voluntate Dei simpliciter pendet.

Respondeo primò perseuerantiam, si proprie sumatur pro statu duraturo in gratia, non esse necessariam, & communem iis omnibus qui saluantur, vt non bene supponit Bellarmin. & non satis efficaciter probat ex verbis Christi, Matth. 10. Potest enim quis statim atque iustificatus est mori, qui tamen saluabitur citra perseuerantiam proprie dictam. Et affirmare quod saluus erit quisquis perseuerauerit; non est negare non fore saluum eum qui non perseuerauerit, quamuis aliter in gratia Dei mortuus sit. Respondeo secundò, perseuerantiam non ita esse donum Dei, vt ab illo solo pendeat sine vlla nostra cooperatione libera: quemadmodum primæ uocationes dantur nobis absque nostro consensu libero; Deus enim illas in nobis sine nobis operatur: sed omnino quòd perseuerantis pendet à nostro consensu libero ad obediendum omnibus grauibus Dei mandatis, & ad resistendum constanter omnibus occasionibus mortaliter peccandi. Tertio, dico, vt perseuerantia dicatur donum Dei gratuitum non ex meritis, non esse necessarium vt sit decreta ante præuisionem operum, neque vt detur citra conditiones ex parte perseuerantis. Quemadmodum & fides non primò infunditur adultis citra consensum, quamuis detur citra meritum.

Respondeo quartò, eos qui perseuerant, posse non perseuerare: & eos qui non perseuerant, posse perseuerare: quemadmodum qui



consentunt vocationi, possunt non consentire, ex Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. & qui non consentiunt, possunt consentire. Est enim de fide dari omnibus iustis potestatem perseverandi, ut ex Concilio Arausicano can. 25. Trident. sess. 6. cap. 13. & aliis multis recte probat Suar. lib. 10. de grat. cap. 3. de facto autem perseverant illi soli, qui vocationi divinae ad perseverandum excitanti consentiunt: & non perseverant, qui non consentiunt, sed libere in peccatum mortale prolabantur. Quare donum perseverantiae pendet aliquo modo ex libero arbitrio, & pluribus testimoniis Augustini, Prosperi, aliorumque Patrum probat Auctor citatus eodem libro cap. 7. Quamquam non nego plus conferri beneficij aliquibus qui perseverant. Ut iis qui confirmantur in gratia; & illis qui specialiter praeruantur a grauioribus peccandi occasionebus, siue morte prius procurata, siue aliter. Inò etiam aliquatenus iis omnibus qui perseverant, ut explicabitur disputatione sequenti num. 57. & seqq. vbi etiam ostendens Deum quibuldam antecederet multò magis expetiuisse gloriam, licet nulli purae creaturae expetiuerit efficaciter antea prauiisionem.

137 Adde denique licet perseverantia non cadat sub merito de condigno, quod absolute meritum dicitur; ut cum D. Thoma docent communiter Theologi 1. 2. quaest. 114. art. 9. estque de fide, si intelligatur de gratia serie omnium auxiliorum, comprehendendo etiam primam vocationem, & primam iustificacionem: inò etiam illis secluso docet experientia reliquum non cadere sub merito de condigno. Experimur enim viros etiam sanctissimos interdum cadere post multa & eximia merita: quod non fieret, si eorum meritis annexa fuisset infallibiliter perseverantia, tanquam meritis de condigno. Cadere tamen potest sub merito de congruo, & impetrari sanctorum precibus, etiam specialissimum perseverantiae donum, tum nobis, tum aliis: atque etiam providentia extraordinaria in procuranda morte dum est bonus status: ut fert communis Theologorum sententia, Sanctorum exemplis & vsu Ecclesiae confirmata, traditaque speciatim à D. Augustino lib. de bono perseverantiae cap. 6. vbi sic ait: *Hoc donum suppliciter emereri potest: sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Quare voluntas Dei de decreto perseverantiae non est ita gratis, quin meritum quaecunque supponere possit. Ex hoc autem impetrato pendet gloria, & voluntas absoluta gloriae.*

138 In forma igitur Respondeo, transeat Maior, quamvis falsa in rigore: distinguo Minorem. Perseverantia est donum Dei pure gratuitum, & independens à nostra libera cooperatione, aut praedestinatum antecederet & absolute atque efficaciter citra prauiisionem nostrae cooperationis, nego.

Consequenter ad illam prauiisionem: concedo. Non tamen ad prauiisionem meritum de condigno, sed de congruo tantum post primam vocationem, & auxilium cooperans ad primum consensum. Nam ante haec duo non potuit praecedere vllum meritum de congruo: quia omne meritum de congruo in ordine ad salutem, est opus gratiae. Ante illam autem vocationem, & consensum, non praecessit opus gratiae. Nam opus gratiae supponit primam vocationem. Et primus consensus ad illam libere datus, est primum opus gratiae. Ad consequens Respondeo simili distinctione. Salus & praedestinatio ad salutem pendet simpliciter ex voluntate Dei efficaciter & absolute praedestinante ante prauiisionem cooperationis & consensus: nego. Conditionate tantum decernente salutem, si consentiamus & cooperemur: concedo. Eodem enim modo decernit efficaciter salutem, quo decernit efficaciter perseverantiam.

Tertia ratio ducitur, inquit Bellarminus, à paruulorum diuersitate, quorum aliqui rapiuntur statim post baptismum, alij paulò ante baptismum. Quorum priores ad gloriam praedestinantur. Posteriores ad poenam reprobatorum pertinere non dubium est. Nec possunt hic alia merita prauiisa, vlliusue boni vsus liberi arbitrij aut gratiae fingi.

Respondeo, quòd aliqui paruulorum rapiuntur statim post baptismum, alij paulò ante, oriri communiter ex providentia communi, & ordinaria, quam Deus non tenetur mutare passim, propter negligentiam vel malitiam creaturarum. Et Deum quidem velle omnibus adesse & prodesse media & auxilia salutis, quantum est de se: veruntamen paruulos communiter relinquere cum providentia naturali, aut supernaturali ordinaria, permittereque eorum salutem potestati parentum, aliorumque adultorum, quorum libertate pendet vltima illis applicentur. Saepeque contingit vti ex mera malitia vni applicentur, & alteri non. Quae differentia, ut talis, non potuit à Deo antecederet intendi. Ut v.g. si quis è duobus infantibus vnum verè quidem sed sacrilegè baptizet, & in aqua suffocet, alterum sine baptismo interficiat. Dico itaque Deum non praedestinare communiter mortes hominum, siue adultorum, siue infantium, antecederet & absolute: sicut neque natiuitates certo tempore & modo quo fiunt: Alii qui multas vitiosas occasiones & generationes vellent: sed tantum consequenter ad causarum naturalium vel liberarum exigentiam. Quod si aliquando mortem aliquorum procurat extraordinarie, id saepissime facit post preces, & propter illas: adeoque eas praesupponit. Si autem interdum eam procurat ex amore mere gratuito: saltem praesupponit, ante electionem efficacem ad gloriam, bonum statum finalem, ex libertate iustificati aut aliorum pendentem.

139  
tertium  
argum.

Quòd paruulorum aliqui moriantur ante baptismum, alij post, non probat antecederet praedestinationem.



& vnde cunque mors paruuli, aut adulti contingat: non vult illi gloriam absolutè & efficaciter, nisi post præuisum statum finalem bonum. Neque efficaciter & absolutè prædestinat, aut prædeterminat intentionem baptizantis paruulum, vt validè baptizet. Et Deus eundem ab æterno præsciuit quid futurum esset, si causas secundas necessarias ita disponeret, aut liberas sic operari permitteret. Verum neque ita disposuit causas necessarias, neque liberas permittit ita operari, ex decreto efficaci & absoluto saluandi aliquos, & reprobandi alios, antequam ad præuisionem operum aut status finalis: sed voluit vt causa salutis à se posita, & omnibus exposita, prodesset omnibus, quantum est de se: paratus tamen permanere oppositum ex negligentia vel malicia creaturarum, quæ nisi impediret, media omnibus prodesset re ipsa, etiam infantibus in vtero morientibus, vt ostendemus disputatione sequenti. Deus enim, qui vult sincere omnes homines saluos fieri 1. Tim. 2. prouidit omnibus media sufficientia ad salutem.

Quarta ratio sumitur ab exemplo Christi, qui caput, & princeps, & exemplar omnium prædestinatorum. Ex quo Bellarminus sic argumentatur: Christus prædestinatus est filius Dei omnino gratis, non propter aliqua opera præuisa: non enim aliqua opera facere potuit homo Christus, vt filius Dei fieret; cum ex illo cœperit esse filius Dei, ex quo cœpit esse homo. Ergo sicut ille homo prædestinatus est esse filius Dei naturalis, nullis præcedentibus meritis: ita nos etiam prædestinamur, vt simus filij Dei per adoptionem, nullis præcedentibus meritis. Prædestinamur enim nos, vt conformes efficiamur imaginis filij Dei Rom. 8.

Respondeo prædestinationem Christi, quoad vnionem hypostaticam gratis omnino factam, conferendam esse (sicut confertur à D. Augustino locis à Bellarmino citatis de prædestinat. Sanctor. cap. 15. & de bono perseuerant. cap. vlt. & de corrept. & grat. cap. 11.) cum nostra, prout nostra est ad primam gratiam, ad quam similiter non præuincunt merita ex parte nostra: non verò prout nostra est ad gloriam. Alioquin concedendum foret Calvinistis, ante gloriam nostram nullam præire merita nostra, quibus illa reddatur: sicut rectè contendit Augustinus ante hypostaticam vnionem non præuincisse merita Christi, quibus vnio redderetur: vnde, infert vnionem illam, & prædestinationem ad illam, fuisse gratuitam. Hoc autem est contra Trident. sess. 6. can. 32. & contra Scripturam locis citatis sect. 3. & contra ipsummet Augustinum ibidem, alibi que sapissime.

Dixi nihil meriti præire primæ gratiæ ex parte nostra: quod non modò verum est de prima gratia vocante seu praueniente, respectu cuiuscunque meriti propriè vel im-

propriè dicti: sed etiam de prima habituali & sanctificante, respectu meriti propriè dicti, seu de condigno. Quæ quæ licet adultis non infundatur, neque efficaciter prædestinetur, nisi præuiso & præuiso consensu ac dispositione aliqua, ex Tridentino sess. 6. cap. 5. 6. & 7. nihil tamen eorum, quæ ipsam præcedunt ex parte nostra, habet rationem meriti de condigno, ad quod præsupponitur gratia sanctificans vt constituitur in statu apto ad merendum, ex eodem Tridentino sessione citata capite 8. & 16.

Quinta ratio sumitur à fine prædestinationis: prædestinatio enim pro fine habet ostensionem diuitiarum gratiæ Dei in vasa misericordiæ, & laudem gloriæ gratiæ suæ, Rom. 9. & 11. Atqui si Deus prædestinaret propter bonum vsum liberi arbitrij gratiæ præuisum, non ostenderet diuitias gratiæ, sed iustitiæ aut æquitatis.

Respondeo prædestinationem ex conditionibus, aut meritis præuisis, non impedire quia Deus prædestinando ostendat simul diuitias gratiæ & iustitiæ. Quænam modum iuxta Tridentinum sess. 6. can. 32. quod bona opera, quibus eam consequimur, nostra fiat merita, non impedit quin sint etiam Dei dona. Grata est quod Deus ad finem illum supernaturalem nos destinet, quod gratis vocet, quod consentientes vocationi adiuuet ad consensum supernaturalem eliciendum, quod Christo inferat consentientes, & per eius influxum ad merendum aptos efficiat, quodque bonis iustorum operibus gloriam æternam promittat. Iustitia verò est quod stet promissis, & operibus in gratia factis à viuus Christi membris vitam æternam, vt promissit, retribuatur, iuxta illud Hebræorum 6. Non est inestis Deus vt obliuiscatur opus vestri boni &c. Et 2. Timoth. 4. Reposta est mihi corona iustitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Quibus & similibus locis affirmat Scriptura regnum cælorum dari ex iustitia, quamuis etiam deur ex gratia, iuxta illud Rom. 6. vers. 23. Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.

Sexta ratio: Scriptura refert discretionem electorum à reprobis inter arcana mysteria altissima, & inscrutabilia, vt patet ex epistola ad Romanos, capite vndecimo, O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam in omni comprehensibilia sunt iudicia eius, &c. Atqui si vera esset nostra sententia, nulla hæc esset causa admirationis, nullum eum mysterium. Quia non mirum est, si Deus eos saluare decreuit, quos præuidit bene acturos: & damnare alios, quos præuidit malè victuros. Sicut nemo miratur si videat iudice puniri noxios, liberari innoxios.

Respondeo primò, Scripturam sapissime refundere diuersos exitus hominum in merita vel demerita, Matth. 25. à versu 24.

Prædestinatio nostra quomodo sit cum prædestinatione Christi comparanda.

141.



ad Galat. 6. v. 6. ad Rom. 9. v. 31. & cap. 10. v. 21. & sequentibus.

144. Quae capite admirandi in praedestinatione.

Respondeo secundò, non obstante electione ex praeiis conditionibus vel meritis, adhuc esse permulta quae ad exclamationes & inscrutabilia Dei iudicia recurrere nos cogant. Quòd enim Deus hunc ordinem rerum, circumstantiarum, & auxiliorum, in quo quidam, & valde pauci fuerunt reipsa praedestinati, longèque plures reprobat, potius elegerit, quàm quemcùq; alium ex infinitis in quibus praesciebat rem longè aliter euenturam, atque adeo eligendo hunc ordinem voluerit iis salutem specialiter quos in eodem ordine praeuidit beandos, non alii: quòd etiam pronoscens Iudaeos minimè conuertendos per miracula Christi, ea tamen ipsis exhibuerit; & non Tyriis ac Sidoniis, quos conuersum iri sciebat, si fuissent ipsis exhibita: quòd praesciens Adamum peccaturum, & totum genus humanum pessundaturum, si in talibus circumstantiis eum constitueret: Iudaeos item à fide casuros, & Gentiles difficile credituros, si Messiam talem mitteret: & nihilominus ita se gesserit, & omnia sub peccato concluderet, & Iudaeorum casu Gentiles, licet difficulter ex parte ipsorum, excitauerit: quòd praeterea quibusdam specialiora auxilia & extraordinaria destinauerit, non aliis aequè dignis; aut non minus, imò interuam multò magis indignis: hæc, inquam, & similia, causa iustissima sunt, vt miremur, & exclamemus cum Paulo Rom. 11. *O altitudo diuiciarum sapientiae & scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!*

145. Deus specialiter bene uoluit omnibus praedestinat, etiam antecedenter.

Ex quo etiam capite spectata hominum praedestinatio merito in Scripturis dicitur fuisse secundum propositum, & liberam electionem Dei, qui quos uoluit elegerit, vt eos potius quàm alios praedicto modo praedestinet, eligendo scilicet hanc seriem praedestinat, in qua praeuidit eorum saluationem, non in alia. In eo etiam quoque sunt praedestinati, fuerant dilecti specialiter & antecedenter, pra aliis, quatenus Deus antecedenter, id est, à se elegerit hanc seriem, in qua futurum erat vt saluarentur, si hæc series poneretur; & euentum approbavit per complacentiam: & in eo quòd elegerit media futura congrua, specialiter, benefecit illis, quibus futura sunt congrua, pra aliis quibus incongrua: antecedenter, inquam, & à se: id est, non data occasione ex parte creaturae; quae ipsum mouerit ad sic eligendum. Merito etiam qui ita electi sunt & praedestinati, quæsi forte vocati & praedestinati dicuntur eatenus: quia nimirum quòd Deus hanc seriem elegerit pra alia, ex parte ipsorum fors mera fuit, & diuina uoluntate pure profectum. Tamen si Deo liberè & ex se eligente ab aeterno hunc ordinem rerum potius quàm alium, quòd hi potius quàm illi in ea serie fuerint eligendi & efficaciter praedestinand, non fuerit merè gratuitum, & independens à conditionibus

vel meritis ipsorum: sed ab illis omnino pependerit, vt electio respectu istorum haberet rationem praedestinationis, pra aliis in eadem serie contentis. Ita vt si contrarium euenisset, eòdè contrario etiam praedestinati fuissent, qui sunt reprobi; & reprobi fuissent, qui sunt praedestinati.

146. Septimum argum.

Septima ratio: Si Deus praedestinet propter bonum vsu liberi arbitrij gratiae praeuisum, certè in huius praedestinationis executionem praedictores ad eos omnes dirigeret, quos praeuidet bene vsuros Euangelio: atque apud eos omnes signa fieri uellet, quos iis signis conuertendos saluandosque praeuocet. At hoc est contra Scripturam Ezechiel. 3. *si ad populos ignote linguae, &c.* Et Matth. 11. *si in Tyro & Sidone factae essent uirtutes, &c.*

Quare Deus non det omnibus auxilia congrua?

Respondeo, quando dicimus praedestinationem absolutam & efficacem esse ex praeuisione meritorum, vel conditionum necessariorum ex parte electorum, nos id intelligere de praescientia absoluta meritorum aut conditionum, quae reipsa erunt, & praeuidentur esse absolute futura: non autem, vt putat Bellarm. de scientia conditionata, meritorum, quae nunquam erunt, sed essent, si poneretur aliqua conditio, quae tamen non ponitur: qualia sunt illa, & quibus sermo est Dezech. 3. & Matth. 11. Quare uero Deus non det omnibus auxilia, quibus uidet bene vsuros, vt Tyriis & Sidoniis; prouenit ex Dei placito, atque etiam vt plurimum ex serie naturali, cui se passim accommodat. Quamquam enim non nego fauores interdum specialiores & extraordinarios; dico tamen Deum in immitentis inspirationibus & uocationibus supernaturalibus, attemperare se communiter cursui naturae, & circumstantiarum. Non quidem ita vt uocatio supernaturalis exigatur ex natura rei à naturali rerum ordine: sic enim non esset supernaturalis: sed quia cum iuxta ordinem, quem Deus iam seruat, uocatio supernaturalis egat speciebus impressis intellectui, vel obiectis, & similibus naturalibus: Deus pro varia naturalium rerum, aut etiam supernaturalium, naturali exigentia praerequisita, & pro speciebus impressis naturalibus praeparatis, vel obiectis occurrentibus, variè interius mouet. Exempli gratia, post concionantis, etiam in illo sine, orationem, quae iudicij vel inferni metum, etiam cum solo Dei concursu generali, audientium animis inculcauerit, ingerit Deus interius inspirationis supernaturalis de iisdem obiectis. Et ita proportionaliter in aliis casibus.

Deus communiter se accommodat cursui rerum.

Deus communiter se accommodat cursui rerum.

147.

Quòd autè eòmuniter ita fiat, patet primò, quia experimur nos urgeri solere ad còsensum pro similibus occasioibus. Dixi, *communiter*: nam aliquando derepente Deus per se vel per angelos ad aliquid mouet, nullà, quam aduertere possimus, occasione praeuia. Patet secundò, quia Deus ad fidei nostrae exercitiu occultat nobis prouidentiam supernaturalè, intertexendo cum naturali, adeò vt sensum



& experientiam penè effugiat. Tertio, quia Scriptura, Concilia, Patres, & Ecclesia, passim nos urgent vocibus externis, concionibus, libris piis, sacris imaginibus, templis, sanctorum reliquiis, & aliis, id genus, ut sensus feriant, etiam naturaliter, & deinde Deus supernaturalia promoueat consequenter.

148. Hinc autem potest satisfieri variis querimoniis: Cur v. g. Deus preueniat hominem dolum antea iustum inspirationibus, cum quibus per scientiam mediam prouidet casurum finaliter, cuius alii possit? Cur hunc peccatorem preueniat cogitatione quæ prouidit conuictendum, non illum. Id enim ad prædictam accommodationem ordinis supernaturalis ad naturalem referri potest. Deus quidem, ut est plus quam verisimile, habet ad manum gratias præuenientes, quibus videt per scientiam mediam obstinatissimos parituros, quas tamen non dat, quia non debet bonum ordinem communis prouidentia, propter malas hominum voluntates, aut negligentiam mutare. Vnde August. lib. 1. ad Simplianum qu. 2. post medium: *Quis audeat dicere, inquit, defuisse Deo modum vocandi, quæ etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Ia. ob iustificatus est? Et paulò inferius, de obdurato addit: Quis dicat modum, quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse? Verùm hæc gratia sunt extraordinaria, & præter accommodationem illam ordinariam ad naturalem rerum cursum: Neque illis uti necessarium est ad v. e. acque sincere volendam salutem hominibus. Ea verò est malitia & miseria nostra, ut non solum media ordinaria frequentissimè irriter, verùm etiam specialiora, ut in Adamo, Pharaone, Salomone, Iuda, & similibus videre est.*

149. Cùm autem de Dei bonitate in negotio salutis sit quam optimè sentiendum, si nihil aliud obtinet, si que postulet amor eximius, quem præfert mori nostris in Elium Isa. 49. vers. 15. Patris in sobolem Luc. 11. v. 11. & sponsi amantissimi erga sponsam Irem. 3. vers. 1. & sequentibus: quemue comparat amori gallinæ erga pullos Matth. 23. v. 2. mulieris drachinam quærens Luc. 15. v. 8. pastoris optimi erga oves ibidem vers. 4. & Ioan. 10. v. 11. & sequentibus, diligentis agricolæ de vinea sua cultura admodum solliciti Isa. 5. v. 4. & Matth. 21. vers. 33. existimandum est Deum ex inspirationibus, quas fert accommodatione supra dicta ordinis supernaturalis ad naturalem præuium, nunquam immittere illas, quas per scientiam mediam nouit esse frustrandas, præ aliis, si cætera sint paria: sed potius omnes non frustrandas. Ad eò ut quando non consentimus vocationi, argumentum sit esse nostram negligentiam, aut malitiam, ut neque illis consentiremus inspirationibus, quæ occasionibus præexistentibus accommodatæ forent iuxta prouidentiam supernaturalem ordinariam.

Deus non eligit gratias incongruas, & cæteris paribus.

Deus autem non tenetur propter nostram socordiam, aut malitiam, inuertere illum ordinem prouidentia, & quibuscumque modis possibilibus procurare ut saluemur. Ex quo prouidendi modo sequeretur licentia malè viuendi, negligentia vel tepor studij procurandæ salutis, & alia incommoda quæ superius notauimus.

## SECTIO X.

*Soluntur alia quedam suaris argumenta.*

**A**Duersus eandem sententiam opponit Suar. lib. 1. de prædest. cap. 8. nu. 40. & sequentibus argumenta quæ sequuntur.

Primum argumentum: Intentio finis præcedit, saltem ratione, electionem mediorum: & intentio efficax præcedit electionem mediorum efficacium, quæ, ut talia, eliguntur. Atqui Deus omnibus & solis prædestinatis elegit media efficaciam, ut talia: ergo prius ratione habuit intentionem efficacem finis.

Respondeo negando Maiorem, quoad secundam illius partem. Deus enim in secundo instanti rationis actum suæ voluntatis non elegit media prædestinatis ut efficacia, sed ut bona & apta de se ad finem consequendum. Ut rectè docent Valex. Herice, & Lessius locis citandis disp. 20. num. 54. Quòd verò fuerint efficacia, id est, effectum habituræ reipsa, pependit ab euentu & libertate creaturarum: quem euentum Deus quidem præuidit & approbavit, cum eligeret media: sed non elegit quia præuidit habituram, affectu planè determinante ad illam differentiam, & alioqui non electuro nisi videre: esse profutura. Sicut ex opposito non elegit reprobis media quia inefficacia, licet hunc euentum præuideret, & permittere decreverit: sed elegit ut bona & idonea ad effectum sortiendum, si ipsi voluissent, optauitque ut sortirentur in omnibus. Neque potest dici oppositum saluo sincero Dei affectu erga ipsorum salutem, ut iam sæpius ostendimus.

Instabis, quia licet in sententia nostra Deus non elegerit reprobis media quia non profutura: elegit tamen scienter & liberè media non profutura reipsa. Et posita illa electione cum tali præscientia, non minus sequitur necessarid eorum damnatio, quam si Deus elegerit, quia non profutura. Et hæc electio est à Deo antecedenter. Ergo sententia nostra, & modus prouidentia quem asserimus erga salutem reproborum, non est illis fauorabilior, quia non melior succedit euentus: neque melius defendit sincerum Dei amorem erga eorum salutem. Quomodo enim voluit sincerè & ex animo saluare illos, quibus elegit media non profutura, scienter & liberè: cum tamen posset æquè facilè eligere alia, quæ videbat esse profutura?



<sup>150</sup> Respondeo magnum esse discrimen inter  
vtrumque eligendi modum. Nam si Deus  
non selegerit electis media, quia profutura, &  
reprobis, quia non profutura, vt nos asseri-  
mus: Deus affectu & voluntate antecedenti  
non decreuit absolute de salute & damnatio-  
nem hominum, neque illis à seipso necessita-  
tem vllam imposuit, vt illi saluentur, & isti  
damnentur, seipsum adigendo ad seligenda  
ea media, quæ sunt idonea executioni infal-  
libili, vt decreti antecedentis: id est, media  
congrua electis, & incongrua reprobis. Se-  
cundus autem in sententia Suaris, secundum  
quam Deus, ante præuisionem operum ho-  
minum, de illis statuit efficaciter & absolu-  
tè: certus per scientiam mediam non deesse  
sibi media quibus decretum suum exequatur  
infallibiliter. Quo decreto Deus de to-  
to hominum saluandorum damnandorumque  
negotio & euentu determinat se solo: neque  
relinquit homines in manu sui consilij, sed in  
manu sua omnia ponit. Ita de omnibus præ-  
constituit, vt nihil aliud futurum sit, quam  
quod ipse antecedenter decreuerit. Est enim  
necessarium homines, & alias omnes causas  
secundas subesse & seruire huic decreto ef-  
ficaci & inuolabili.

<sup>153</sup> Ex quo fit vt in sententia Suaris damnatio  
reprobis sequatur necessario ex Dei de-  
creto antecedente consensus liberum &  
operationem creaturarum. At in nostra non  
sequitur, nisi ex negligentia vel malitia ho-  
minum, ex qua fit, vt media non sint pro-  
futura, & vt Deus præsciat non esse profu-  
tura: illa enim præscientia subsecu-  
tine rationis suum obiectum. Hæc nam  
fit, vt reprobis non possint iure queri  
impositam sibi fuisse à Deo necessitatem pe-  
reundi: cum Deus ante illorum peccata ab-  
solutè præuisa nihil fecerit aut decreuerit,  
quo antecedenter excluderentur à salute,  
formaliter aut virtualiter: sed potius om-  
nium scilicet sincerè optauerit, ad eumque  
finem media omnibus prodesse voluerit; ac  
si non profunt, id sit omnino contra eius in-  
tentionem & desiderium. Hinc denique  
fit, vt in nostra sententia reprobatio non sit  
à Deo, qui antecedenter & à seipso aliquos  
neglexerit & despexerit, ex quo neglectu an-  
tecedenti sequatur infallibiliter eorum  
damnatio: sed reprobatio fit ab ipsis creatu-  
ris, quæ à malitia vel negligentia facti vt  
media de se bona non profunt.

<sup>154</sup> In forma igitur Respondeo ad primam  
partem antecedentis, Deum quidem scien-  
ter & liberè elegisse reprobis media non  
profutura: id est, elegisse media quæ scie-  
bat non esse profutura ex malitia vel negli-  
gentia creaturarum: non tamen ita vt illa  
præscientia conditionata eum direxerit, aut  
illa vltus sit ipsi seligendis medijs incongruis,  
præ alijs, non electuris si congrua futura  
fuisent. Sed omnia elegit vt de se bona &  
valida. Hæc autem potius quam illa, fu-  
tura fortasse congrua, elegit iuxta cursum  
vel exigentiam prouidentie ordinariæ, &

causarum aliarum, vt paulò ante exposui-  
mus.

<sup>155</sup> Ad secundam partem eiusdem antee-  
dentis Respondeo, posita tali electione cum  
tali præscientia, sequi necessario reprobo-  
rum damnationem, ex hypothese præscien-  
tiæ, & in sensu composito: sed sequi dum-  
taxat ex negligentia vel malitia creaturæ,  
& malo statu finali, quem scientia illa fore  
præsupponit: non potest autem simul fore  
& non fore. Iuxta Suarem verò sequitur ex  
decreto Dei antecedente malitiam creaturæ  
absolute præuisam, nempe ex decreto Dei  
antecedente, excludente virtualiter & æqui-  
uocaliter eos omnes quos Deus despexit, seu  
neglexit, ante præuisionem operum, hoc  
est, nulla causa data ex parte ipsorum.

<sup>156</sup> Ad tertiam partem eiusdem antee-  
dentis, nego illam electionem, prout coniu-  
ctam præscientiæ non futuri boni vltus me-  
diarum, & prout eius hypothese sequi-  
tur necessario damnatio reproborum, esse à  
Deo antecedenter. Nam electio per se, &  
quatenus à Deo est, non intendit vt medijs  
non profint; sed potius tendit in illa vt ido-  
nea, cum affectu profint. Quodque non  
profint, non est à Deo antecedenter; sed  
tantum consequenter & permissiue, vt se  
accommodet libertati creaturarum.

<sup>157</sup> Ad priorem partem consequentis Respon-  
deoprimò licet non melior succedat euen-  
tus: modum tamen prouidendi quem asseri-  
mus, esse reprobis, fatuabiliorum per se,  
quia ponit eorum salutem in ipsorum pote-  
state & arbitrio, Deusque illam sincerè de-  
siderat, prouidetque de medijs ex vero affe-  
ctu vt profint. Quod si nihilominus euentus  
melior non succedit: ad planè contingit ip-  
sorum culpam. At in sententia Suaris euen-  
tus ille sequitur ex Dei determinatione effi-  
caci & antecedenti de euentu, ante culpam  
præuisam, & occasionem vllam datam à re-  
probis. Estque difficile, aut potius imposs-  
bile, explicare in ea sententia, quomodo  
Deus sincerè salutem illorum desiderauerit,  
deque medijs prouiderit, ex vero affectu vt  
prodesse: ac non potius eorum salutem insi-  
diatus sit, quærendo de industria media non  
profutura, quod à Dei bonitate est alienis-  
simum.

Respondeo secundo esse incredibile, &  
moraliter impossibile, eundem euentum  
succedere, & non fore fauorabiliorem Dei  
prouidentiam, etiam quoad euentum, circa  
aliquos reprobos, eorum quos Deus antee-  
denter discreuerit, iuxta sententiam Suaris,  
posito quòd Deus non elegerit illis media  
quia incongrua, sed indifferenter medijs de  
se bona & vtilia. Nam vt alibi ostendimus,  
mirabiliter fortuitum est, moraliterque im-  
possibile, vt tam multi reprobis antee-  
denter à Deo neglectis & desertis ab alijs, nulla  
obtingant medijs finaliter profutura, & tanta  
multitudine medijs indifferenter ele-  
ctorum. Estque impossibile id tam certè &  
infallibiliter euenire, quam decretum Dei



absolutum & efficax est infallibile. Quare in sententia Suaris oportuit Deum de industria cauere, ne media profutura reprobis obtingerent: & relinquere ea omnia, quæ si secundum communem cursum rerum & prouidentiam ordinariam exhibita fuissent, ut fieri par erat, & affectus sincerus postulabat, habuissent effectum, & finaliter profuissent.

158. Ad posteriorem partem eiusdem consequentis respondeo iam ostensum esse, quomodo nostra sententia longè aptior sit ad tuendum & explicandum sincerum Dei amorem antecedentem erga salutem reprobiorum. Cui non obest, quod Deus elegerit illis media, qualia communis rerum cursus de se bonus, & ordinaria prouidentia postulabat. quamuis per scientiam mediam viderem non esse profutura ex hominum malitia vel socordia. Quia sincerus amor salutis non exigit ut Deus propter hominum malitiam, aut socordiam, mutet ordinem rerum de se bonum, & damnationem ordinariam. Neque ut Deus velit saluare homines quacunque via possibili, prædefinendo efficaciter eorum salutem & usum mediorum. Qui modus regendi creaturas liberas non est ad eod consentaneus earum libertati, & naturali dominio in suos actus, potestati què liberæ disponendi de se & de rebus suis; parentis licentiam peccandi, & temporem studij bene viuendi, vbi libi ostendimus.

159. Secundum argumentum Suaris, eodem lib. 1. de prædest. cap. 8. num. 42. sic habet: Necessè est fateri Deum elegisse aliquos ante præscientiam absolutam futurorum ad gloriam: & nulla est ratio excipiendi ab hac electione aliquos saluandos. Ergo omnes qui saluantur ita electi sunt. Maior patet exemplo Beatæ Virginis, Sanctorum Ioannis Baptistæ, Apostolorum, & similibus, Itemque exemplo paruulorum, quorum unus interdum, stantibus iisdem parentum meritis, moritur ante baptismum; alter post. Quæ differentia neque est à casu respectu Dei, neque omnino per accidens: neque in re tam alta, & pertinens ad salutem hominum, potest esse ex sola generali prouidentia, absque secreta ordinatione & electione eorum qui saluantur.

160. Respondeo probabilius esse nullam puram creaturam (nam de Christi prædestinatione non est hic sermo) fuisse electam absolutè efficaciter ad gloriam, antè præuisa merita vel conditionem finalem. At ne Beatam quidem Virginem (quamquam eius priuilegia ad nullam aliam puram creaturam extendenda sunt) electam fuisse non modò ad gloriam: sed neque ad primam iustificationem, si eam liberè adeptæ est, ut est probabile adeptam fuisse, neque etiam ad maternitatem Dei, siue præuiso, ipsius consensu præuiso, absolutè & efficaciter destinatum fuisse. Ita ut præcesserit quidem Dei volitio absoluta circa primam Deiparæ uocationem, cui liberè consensit prius naturam quam

in vero iustificaretur per infusionem gratiæ habitualis. Idemquè dico proportionaliter de alijs gratijs præuentibus. At non ad illum actum liberum Deiparæ, vel ad effectum illum qui sine ipsius actu libero futurus non esset, præiuit Dei volitio absoluta, sed conditionata & conditionaliter efficax. Quamquam ipsamet conditionata uoluntas præuiso effectu transiit hoc ipso in absolutam, sed consequenter.

Verum quicquid de Dei Matre incomparabili sentiendum sit, cuius priuilegia non sunt alijs facillè communicanda, nulla ratio vel auctoritas suadet, ut de omnibus alijs prædestinatis, vel etiam de sanctis eximijs, concedamus id quod affirmat Suares. Id enim neque Scriptura docet, neque sancti Patres: neque aliunde efficaciter colligitur: sed Ioanni Baptistæ, & Apostolis, alijs què sanctis excellentioribus, sufficiebat specialis quædam prouidentia, quæ salutem illis valde facillè redderet, & damnationem valde difficilem, quamuis non impossibilem. Vel etiam quòd post consensum liberè datum, aut orationem factam eo fine, vel alia bona opera, confirmarentur in gratia, & sic deinceps à Deo regerentur, ut auerterentur occasiones mortaliter peccandi: vel etiam ab ipsa infantia, & ante vsum rationis, præueniretur eximijs gratiarum donis. Deus enim potest specialiter quosdam præ alijs diligere antecedenter, & præuenire maiori beneficijs, ut ostendemus disputatione sequenti. Sed id de non sequitur Deum absolutè & efficaciter elegisse illos ad gloriam, antè præuisum absolutè ipsorum consensum, & bonum usum mediorum, statumque finalem in gratia.

Nec obest id quod addit Suar. de paruulis. Nam id talem electionem & reprobationem, absolutam & efficacem ante futuram præuisionem, non satis ostendit. Quod enim vnus moriatur ante baptismum, & alter post, prouenire potest ex causarum naturalium dispositione, quæ fuerunt ita dispositæ, partim quia natura rerum, aut libertas creaturarum ita postulabat, partim quia in vindictam peccati ita cooperiens erat. Deus tamen non eas disposuit, ut infans ille sine baptismo discederet. Sed tantum id permittit, paratus impedire, nisi staret per hominum malitiam aut negligentiam. Nam, ut dicam disputatione sequenti, probabilius est Deum nunquam permittere infansem mori sine remedio, & perire in æternum, absque defectu aliquo vel parentum, vel aliorum: cum alioqui velit carnes saluos fieri. Quando autem immutat cursum rerum ordinarium propter parentum preces, aut aliquid simile; non est hoc signum electionis, absolutæ antecedenter, neque sine precum aut aliorum mediorum præuisione: quas preces Deus non prædefinit, antecedenter, neque intentionem baptizantis ut validè baptizet.

Dices, Deum in embrionem mox suffe-

Nulla pura creatura fuit antecedenter prædestinata.



condum sine remissione peccati originalis, infundere animam A. & simul tempore in alium supersubjectum & baptizandum infundere animam B. sine vlla exigentia ex parte animarum aut adiutorum. Ergo quod Deus hanc illi præferat in re tanta, non potest nasci nisi ex absoluta intentione saluandi istam, & reprobatione negatiuæ illius.

Respondeo non idè esse absolutam voluntatem salutis, vt pote pendente ex libera applicatione baptismi: sed esse tantum maiorem beneuolentiam antecedentem: quam alteri est sufficienter prouisum, sed in voluntate aliena, vt inferius dicetur. Cæterum cum natura exigat vt infundat Deus aliquam animam; Deus natura se accommodat. Sed, cur hanc potius quam illam, necessariò recurrit ad liberam Dei electionem, quæ non potest non vi, stante decreto non violandi naturæ ordinem. Addo ex infusione aliarum animarum non futuros eodèd homines. Addo etiam bonam partem animarum quæ saluantur, non fuisse infundendam si non præcederet adulteria, & alia peccata, quæ Deus non vult. Imò quia sincerè non vult, noluit antecedenter & absolute gloriam hominum non ponendorum, nisi essent hæc vitia, quæ ipse sincerè non vult & detestatur ex animo. Addo denique longè aliam esse rationem infantium sine baptismo morientium, & pœnam damni tantum patientium: aliam aduultorum, qui patiuntur pœnam damni & sensus.

164. Tertium argumentum Suaris, cap. supra cit. num. 45. sic ab illo proponitur: In statu gloriæ totus saluandorum numerus futurus est ex directâ & absoluta intentione diuina. Ergo necesse fuit, vt Deus ex se illam habuerit circa omnes qui futuri erant ciues in illo regno. Antecedens patet, quia vt optime ait Bernard, ferm. 78. in Cant. Tota illa ciuitas electa est vt esset vna sponsa Christi, quæ postea per gratiam ita præparata est, sicut fuit electa. Estque id consentaneum perfectioni illius regni, in quo nihil esse debet, nisi ex singulari præfinitione diuina. Confirmatur idem à posteriori. Nam in vnoquoque negotio, vel gubernatione, exitus rei declarat intentionem gubernantis. Et terminus ille, quo tandem obtento cessat sollicitudo & gubernatio, solet esse primum obiectum propositum voluntati & intentioni talis gubernatoris, si prudenter se gerat. Videmus autem totam Dei prouidentiam eò tendere vt ciuitas illa cœlestis in tali numero, pondere, & mensura compleatur. Vnde omnes Theologi dicunt tunc rerum generationes esse finiendas: & gubernationem Dei erga illas, quando numerus electorum fuerit completus. Ergo signum est absolutam Dei intentionem positam fuisse, non in his vel illis tantum personis illius ciuitatis, sed in tota illa vt complenda ex integro saluandorum numero. Confirmatur tandem, quia si non fuit hæc voluntas prima quam Deus habuit erga

electos: quænam igitur illa fuit? Nulla enim alia commodè afferri potest.

Respondeo distinguendo antecedens. In statu gloriæ totus saluandorum numerus futurus est ex directâ & absoluta intentione diuina: absoluta efficacique antecedenter citra præuisa opera vel conditiones, nego: consequenter post illa præuisa, concedo. Ad probationem antecedentis respondeo similiter ciuitatem illam, & ipsam, electam fuisse, non absolute & efficaciter ante præuisionem, sed post: idque magis consentaneum esse conditioni illius regni, quod Deus proposuit non vt donum planè gratuitum, sed vt mercedem bonorum operum, vel vt hæc utilitatem dandam certis conditionibus præuisis: quam idcirco conueniens est non deterni absolute & efficaciter, nisi præsuppositis operibus, aut conditionibus. Similiter negandum est quod additur, nihil in regno illo debere esse nisi ex singulari Dei præfinitione, quæ omnem præuisionem præcedat: quia vt sect. 5. ostendimus, sic excluderentur reliqui omnes, & salus redderetur illis impossibilis, aliaque multa sequerentur incommoda.

Ad primam confirmationem Respondeo 166. primò, si valeret hæc ratio, probaret Deum non potuisse aliter statuere numerum saluandorum: quod non potest non prudenter procedere. Hoc autem est absurdum, & contra Suarem ipsum, qui sententiam nostram probabilem esse faretur. Secundò, ad maiorem Respondeo exitum rerum deflectere non raro ab intentione gubernantis: & terminum in quo vltimò gubernatio cessat, non raro esse aliud quam quod primò gubernator intenderat. Sanè Dei gubernatio quoad reprobos cessat, in ipsorum punitione & damnatione æterna: quam Deus primò non intendit, nec intendere potuit absolute. Minor quoque eiusdem confirmationis fallacia est eo sensu quo obicitur. Nam gubernatio, quatenus est ex parte Dei, ad hoc tendit vt omnes saluentur, & eum gradum gloriæ consequantur, qui est proportionatus medijs & auxilijs ab ipso suppeditatis. Quod autem isti tantum saluentur, & plerique minus gloriæ consequantur, quam par esset habitæ ratione tot & tantorum auxiliorum, prouenit ex malitia vel negligentia hominum: quorum plurimi non vtuntur, aut abutuntur medijs & auxilijs: alij parè tantum & remisse cooperantur.

Quod autem dicitur mundum finitum iri completo numero prædestinato, debet hoc sensu accipi, vt bene ait Lessius disp. de prædest. sect. 5. num. 60. non quod Deus antecedenter non voluerit alios saluos fieri, certumquè numerum antecedenter prædestinauerit, extra quem nullum alium velit. Sed quod præuisa hominum malitia tantâ deinceps futurâ, vt ex humano genere nihil ferè amplius boni expectandum sit, fide & religione penè extincta: Deus mundo finitum

165.  
Qualis fuerit intentio totius numeri saluandorum?

166.  
Suar. in opusc. lib. 3. de auxilijs, cap. 16. num. 8.

167.  
Mundus definit completo numero prædestinatorum.

Tertium argum. Suar. lib. 1. de prædest. c. 8.

Bernard.



imponet, contentus eo numero prædestinatorum qui in die iudicij extremi reperietur.

168.

Quæ fuit  
prima in-  
tentiõ spe-  
cialis Dei  
circa ele-  
ctos.

Ad secundam confirmationem Respon-  
deo ante omnem futurorum prævisionem  
Deum habuisse communem voluntatem qua  
desiderabat omnes homines & Angelos fieri  
saluos, volebatque omnibus ex parte sua  
media de se apta & vtilia conferre: quamuis  
non omnibus eadem mensurâ. Prima au-  
tem voluntas specialis circa electos, quæquæ  
ad reprobos non se extendit, illa fuit, qua  
hunc rerum ordinem illis magis quàm alijs

profuturum, elegit & totam illorum bene-  
ficioꝝ seriem, quibus certissime saluandi  
erant, præparavit, illa, inquam, media qua  
per scientiam conditionatam certissime scie-  
bat profutura, si darentur: approbans quòd  
profutura essent, quòdque scientia condi-  
tionata de facto esset transitura in absolu-  
tam, atque in eo sibi complacens ex affectu  
saluandi electos. Qui affectus, præuiso bo-  
no vsu mediocum vt absolute futuro,  
transiit in efficacem & absolutam electio-  
nem illorum ad gloriam,

## DISPUTATIO VIGESIMA.

De ordine prædestinationis, & varijs eius actibus.

Sectio I. *Quæ scientia necessariò ponenda sit in Deo apte omne de-  
cretum prædestinationis?*

Sectio II. *De actibus diuinæ voluntatis prædestinantis, & eorumquæ  
ordine.*

Sectio III. *De primo actu voluntatis diuinæ prædestinantis, qui est  
interioꝝ: & primò, an Deus omnibus creaturis intel-  
lectualibus salutem expetierit antecedenti voluntate?*

Sectio IV. *An & quatenus & voluntas Dei saluandi omnes fuerit  
efficax?*

Sectio V. *An Deus omnes antecederet equaliter dilexerit?*

Sectio VI. *Virum illa dilectio specialis electorum antecedens fuerit  
efficax electio ad gloriam?*

Sectio VII. *Corollaria ex præcedenti doctrina, & de effectibus præ-  
destinationis.*

**D**E materia huius disput. agit S. Doctor quæst. 23. artic.  
4. 6. & 7. In quorum primo docet omnes prædestinatos  
esse dilectos & electos à Deo. Dilectos quidem, in-  
quantum vult eis Deus bonum salutis æternæ. Nam  
diligere est velle alicui bonum. Electos verò, in-  
quantum vult illis hoc bonum, præ alijs, quos re-  
probat. Electio tamen, inquit, & dilectio, aliter ordinantur in no-  
bis, & in Deo: eò quòd in nobis voluntas diligendo non causat  
bonum, sed ex bono præexistente incitatur ad diligendum: & ideo  
eligimus alicui, quem diligamus. Atque ita electio dilectionem  
præcedit in nobis. In Deo autem res contrario modo se habet.  
Nam voluntas eius, quæ vult alicui bonum diligendo, est causa cur  
iste illud bonum præ alijs habeat. Et sic dilectio præsupponitur